HIERONYMI TARTAROTTI
ROBORETANI
DE EPISCOPATU SABIONENSI
S. CASSIANI MARTYRIS,
DEQUE S. INGENUINI
EJUSDEM URBIS EPISCOPI ACTIS,
AD ANTONIUM ROSCHMANNUM
J. U. L.
ET ŒNIPONTANÆ BIBLIOTHECÆ CUSTODEM
EPISTOLA.





VENETIIS, MDCCL.
TYPIS JO. BAPTISTÆ PASQUALI
SUPERIORUM PERMISSU.

III.

ANTONIO ROSCHMANNO J. U. L.

Hieronymus Tartarottus
S. P. D.

I. PRæſtiti tandem, erudite Vir, quod poſtremis litteris meis me facturum receperam. Tuas ſcilicet *Conjecturas* perlegi de Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani Martyris, quas pro humanitate tua ad me miſiſti. In iis multa offendi, quæ patriis rebus illuſtrandis lucem afferant non exiguam, plura diligenter atque erudite collecta; quædam etiam ſolide excogitata: ſed, ut quod ſentio, tibi homini candidiſſimo ingenue eloquar, fidemque meam liberem, qua illud ſpoponderam me facturum; magna eorum pars nimis longe petita, neque ſuo loco poſita æquis rerum æſtimatoribus videri poſſit. Quædam ſunt etiam ſatis obvia ac per ſe nota, a quibus probandis ſuperſedere utique poteras, ne ſcilicet chartis implendis ſtuduiſſe libentius videreris. Præterea quæſtionis ſtatus non ſtatim initio clare ac perſpicue proponitur, nec quibus difficultatibus ea implicetur exponis, ex quo fit, ut præpoſtere eam pertractare cogaris, nulla methodi ratione adhibita, cujus cetero-

teroqui tanta in rebus difficilioribus enodandis explicandisque vis eſt.

II. Quod ad ſummam diſceptationis attinet, in qua omnem lapidem moves, ut non modo Caſſianum, ſed alios inſuper ante Ingenuinum Sabionenſi Eccleſiæ Epiſcopos præfuiſſe evincas, parum te, immo nihil arbitror confeciſſe. Quid fieri, quid eſſe potuit, ſumma animi contentione perquiris: at in rebus ad Hiſtoriam pertinentibus, non quid fieri potuerit, ſed quid factum ſit, perquirendum. Adſunt idonei teſtes, qui diſertiſſime aſſerunt, Ingenuinum *PRIMUM* Sabionenſis Eccleſiæ Præſulem fuiſſe, *Anonymus* ſcilicet Mabillonianus a me laudatus in Diſſertatione *De origine Eccleſiæ Tridentinæ* §. xxv. pag. 46. quod perinde eſt, tum Caſſianum, tum alios ab Eccleſia illa Epiſcopos amovere: tu tamen Caſſianum ejuſdem Epiſcopum eſſe potuiſſe contendis, atque ea ratione Sancti illius Martyris Sabionenſem Epiſcopatum aſſertum maxime tibi perſuades. At quid hoc aliud eſt, quam, Argumentis relictis, Conjecturas ſectari, & ubi Scientia haberi poteſt, Opinione contentum eſſe? Critices Artis, Criticorumque omnium conſtans & firmiſſima regula eſt, ut Conjecturæ Probationibus convellantur: tu contra Conjecturis & quidem infirmis, validiſſimas Proba-

tiones

tiones oppugnare conaris. Certe si ita argumentari liceret, quidquid lubet, quidquid imaginatione assequimur, adstrui nullo negotio posset.

Testem a me allatum extraneum esse clamas (pag. 59.) qui proinde Domesticis Catalogis minime sit præferendus. Sed si anonymus est, cujus tum nomen, tum patria ignoratur, quo jure extraneus a te dicitur? Patriam indica, deinde extraneum voca. *Advenam* se ipsum quidem appellat ad *Arietem Episcopum* scribens, sub cujus Arietis nomine Adalramum Archiepiscopum Salisburgensem latere, post *Mabillonium* opinatur *Marcus Hansizius Germaniæ Sacræ* Tomo II. in *Corollariis* pag. 977. Num. 128. At posita hac doctorum virorum conjectura, neutiquam tamen inde inferri potest *Anonymum* illum aut Ratisponensem exempli gratia, aut Frisingensem, aut denique Sabionensem non fuisse. Verum sive extraneus, sive indigena sit, non natali solo, sed ætatis prærogativa æstimandus a nobis est, quippe qui Sæculo IX. ineunte floruerit, *Quo nihil* (ut recte monet *Antonius Pagius* in *Critica in Annales Baronii* ad annum DCXXXVIII. Num. 9.) *habemus antiquius de Episcopis Metropoli Saltzburgensi subditis*. Qua fronte Domesticos Catalogos cum hoc Auctore committere audes, qui

 recen-

recentissime pro lubitu confitti, vetustatem temere jactant, atque, ut tu ipse fateris (pag. 32.) ex popularibus traditionibus non raro coalescunt? Quæ quidem traditiones quam inficetæ, quam fabulosæ, quam a veteris Ecclesiæ facie alienæ sint, supervacanum est hoc loco disserere, quum satis perspicua res sit in Ecclesiastica Historia vel mediocriter eruditis. Cui veritas sapit, ægre admodum hoc tuo cibo palato satisfecerit, idem enim est ac inventis jam frugibus, glande nihilominus delectari. Non est hoc ditescere opibus, quibus nostra hæc ætas abundat, neque undique conquirere monumenta, quibus patriæ historiæ tum sacræ, tum profanæ lux afferatur, in quo uno tu ipse in Epistola Nuncupatoria tuarum *Conjecturarum* totum te esse testaris. Est potius in ipsa divitiarum affluentia paupertatem sponte eligere, & non modo nihil detegere, quo historia Ecclesiastica Teriolensis illustretur, verum etiam detectis jam vulgatisque monumentis pertinaciter uti nolle, & in tanta nostri sæculi luce, barbarorum temporum caliginem ac tenebras consectari.

Argumentum, quod ex *Prudentii* silentio eruitur, ut Cassianus ab Episcoporum albo expungatur, ingeniose quidem tota ferme illa tua Dissertatione extenuas; & quamquam

quam maximam ex eo vim argumentum illud capiat, quod Martyrum, quos suis versibus celebrat *Prudentius* episcopalem dignitatem non tacuerit, ut exemplis Fructuosi, Quirini, & Cypriani palam sit, indeque recte inferatur, silentio eamdem non fuisse præteriturum, si hoc itidem de Cassiano affirmari jure potuisset; tamen quando auctoritas ajens nulla contra te afferri posset, aliqua forte verisimilitudine opinio tua niteretur: nunc quum argumentum, quod *Anonymus* suppeditat, positivum sit, ut vocant, frustra omnino es, dum totis viribus negativam probationem infirmare, atque elidere conaris. Pro auctoritate dumtaxat negante habere tu videris etiam *Anonymi* testimonium, dum (pag. 37.) ostensurum te esse promittis, illius *silentium nil tibi obesse*. Verum non silet *Anonymus*, sed eloquitur: non tacet, sed clamat, & disertissimis ille quidem verbis docet, Ingenuinum *PRIMUM* fuisse Sabionensium Antistitem. Omnem igitur Cassiano locum adimit; hic enim, si Episcopus Sabionensis fuit, ante Ingenuinum fuerit oportet. Quæ quidem positiva auctoritas, si cum negante *Prudentii* conjungatur, adeo grave, adeo firmum, adeo invictum momentum contra sententiam tuam præbet, ut in hac materia, quæ sola propemodum auctorum

fide nititur, logicæ vero demonstrationis capax minime est, demonstrationis loco haberi possit.

Illud præterea ex hujus *Anonymi* testimonio evincitur, fontes nempe traditionum, & monumentorum Brixinensium, quæ nunc supersunt, ad Sæculum IX. & X. non pertingere; quod tu tamen (pag. 89.) citra hæsitationem ullam statui posse arbitraris. Si enim inde eruta essent, eas opiniones referrent, quæ tum maxime vigebant, hoc est nullum Cassianum Sabionensem Episcopum agnoscerent, Ingenuinum vero primum illius Ecclesiæ Antistitem cum *Anonymo* faterentur. Ex quo merito inferas, Brixinensium hodiernas traditiones multo recentiores esse, & post Sæculum demum XI. enatas, temporibus scilicet fabularum feracissimis, quibus vetera, & ab hominum memoria longe remota, pro suo quisque modulo metiebatur, credulisque lectoribus, qui omnia sine ullo prorsus delectu amplecterentur, libere venditabat.

III. Et sane quem testem Sabionensis Episcopatus Cassiani, tantopere a te propugnati, *Bartholomæo Tridentino* antiquiorem hactenus tibi proferre licuit? Profer, si habes. Erubescis? Erubescas potius, quod Scriptorem qui Sæculo XIII. floruit, a me primum adductum, & refutatum; non modo

do

do *Patriæ nostræ decus*, quod tamen nemo tibi facile concesserit, sed etiam *testem omni exceptione majorem*, si Diis placet, vocaveris (pag. 9. 100.) *quem viri* (continuo subdis) *ævo nostro doctissimi toties suis scriptis sine ulla reprehensione inserunt*. Inserunt illi quidem, Roschmanne, sed quum de iis agunt, ad quæ probanda alicujus ille momenti esse potest, ut sunt res ejusdem ævo gestæ: non autem ut primorum Ecclesiæ sæculorum facta confirment; multo vero minus, ut eo auctore vetustiorum scriptorum fundamenta subvertant, quod ridendum utique foret. Inserui & ego, non ut sententiam tuam assererem, sed potius ut quam debili fundamento nitatur ea ratione declararem. Auctori qui, ut alia multa prætercam, *Paullum Diaconum* Langobardorum Historiographum lippis & tonsoribus notum, cum S. *Paullino* Nolano Episcopo confundit: qui Vallem *Anauniam*, vulgo nunc *Val di Non*, *Anoniam* vocari ait *eo forte quod satis ibi abundet annona:* qui *Atacem*, hoc est *Atagim* Rætiæ fluvium, vulgo *Aisacum*, ab *Athesi* fluvio Venetiæ non distinguit, etsi ejusdem Athesis accola: qui denique Gesta S. Vigilii Tridentini Episcopi & Martyris S. Hormisdæ Papæ transmissa fuisse scribit, quamquam auctor sit, Vigilium passum esse *temporibus Theodosii*, *& Ho-*

& Honorii sub Stilicone Consule, Hormisda vero anno demum DXIV. Pontifex fuerit electus, hoc est integro post S. Vigilii necem Sæculo; Auctori, inquam, qui adeo frequenter, adeo turpiter, adeo pueriliter labitur in rebus aut domesticis, aut notissimis, absit ut multum tribuam (præsertim quod ad priora Ecclesiæ sæcula) nedum ut *Patriæ nostræ decus* appellem. Eodem loco illum apud Tridentinos suos haberi, vel illud argumento est, quod quum inter *Officia Propria* Sanctorum Ecclesiæ Tridentinæ olim *Lectiones* de S. Maxentia haberentur, ut ex *Calendario* jussu Christophori Madrutii Tridentini Episcopi a *Donato Fætio* Venetiis edito anno MDLX. compertum est; quæ *Lectiones*, ut collatione instituta didici, nihil aliud sunt, quam Sanctæ illius matronæ Vita a *Bartholomæo Tridentino* conscripta; eædem tandem sublatæ fuerint, neque amplius publice legantur; quod quidem, ut ex inferius dicendis palam erit, merito ac jure statutum fuit.

Ceterum quando testibus hujusmodi delectaris, immo antiquioribus eos præfers, en alium tibi offero (nam tecum liberaliter agere volo) nempe *Petrum Calo* Fossoclodiensem, qui licet integro Sæculo *Bartholomæo* nostro recentior sit, utpote qui

Sæ-

Sæculi XIV. initio floruit, aliquanto tamen antiquior est *Petro de Natalibus*, qui eodem Sæculo inclinante vivebat. Is igitur in suis *Legendis*, quæ MSS. Venetiis asservantur in Bibliotheca SS. Joannis & Paulli, ita de S. Cassiano Martyre loquitur Cod. membr. 644. fol. 41. *S. Cassianus fuit spectabilis genere, sanctitate insignis, sapientia conspicuus, & in omni cultu divino devotus. Fidei autem in tantum relator extitit, tantusque defensor, tam ferventissimus idolatriæ expugnator, ut pro ipsius fidei amore mortem contemneret, & sæva supplicia derideret. Ne vero lucerna Dei sub modio absconderetur, & thesaurus tam inclytus occultaretur, & gemma tam fulgida latitaret, providentia divina in Episcopum primum Ecclesiæ Brixinensis electus est, quæ olim Salvonensis* (lege *Sabionensis*) *dicebatur, & venerabiliter consecratus. Ubi tanquam Pastor bonus, speculator assiduus, dispensator fidelis, populum sibi creditum instruebat doctrinis, convertebat miraculis, informabat exemplis. Sed quum sæva Paganorum rabies in Christi milites grassaretur, de Brixina, quæ est in Alamanniæ finibus, exire compulsus, quum Romam pergeret, ad Forum Syllæ, quod nunc Imola dicitur, & olim Cornelia vocabatur a Sylla Cornelio potentissimo Romanorum. ejus*

con-

conditore, Domino ducente pervenit: vel, ut dicit Frater Bartholomæus, captus illuc ducitur ab iniquis. Quare civitatem ingressus, cœpit rudem populum fidei rudimenta docere, & a nefandis simulacris incultos homines ad cultum reducere deitatis. Ut hoc opportunius impleret, Magistrum se professus est esse scholarum; utpote qui & divina scientia S. Spiritu docente imbutus erat, & in humana nihilominus philosophia florebat. Traduntur igitur sibi pueri disciplinis scholasticis imbuendi, ut sic eos philosophia Christianæ instrueret disciplinæ. Sed quia puerilis ætas effrenata nimis invenitur & lubrica, utpote quæ non coercetur sub imperio rationis, sed suæ impetum sequitur voluntatis, nisi ejusmodi magistralis censura compescat; ideo Beatus Cassianus pueros, quos erudiendos susceperat, minis, & verberibus deterrebat, ut quod discere nolebant spontanei, saltem discere cogerentur inviti. Quum igitur sic eos ad documenta salutis trahere nititur, eorum animus in Magistri odium concitatur, adeo ut eum apud parentes graviter accusarent, quod idola contemneret, & eos cultum alium edoceret. Inter hæc crudeles Tyranni promulgant sententiam, quod omnes Christiani aut Diis sacrificia offerant, aut supplicia acriora percurrant. Et ne adesset alicui excusationis facul-

cultas, jubent per omnes vicos & plateas simulacra statui, ne adeundi fieret difficultas: sacrificia omnis generis exhiberi, ne aut paupertas offerendi facultatem excluderet, aut defectus sacrificii sacrificium impediret: proponi dona & premia, ut cupiditas alliceret; ostendi supplicia & tormenta, ne aliquem impunitas demulceret. Mittuntur per provincias satellites edicta Principum iniquorum exsequentes; quibus in Imolensi civitate Beatus Cassianus oblatus est, mire intrepidus, & fidei calore succensus, pro ea fortiter dimicare paratus. Qui interrogatus quis esset &c. Reliqua quibus Cassiani martyrium ex *Prudentio*, *Petro Damiano*, & *Usuardo* describitur, cum Christi passione comparatio instituitur, ac denique miracula ad Cassiani tumulum divinitus perpetrata recensentur, quum longiuscula sint, consulto prætermittimus. Si de hoc Auctore, qui ejusdem sacræ cum *Bartholomæo Tridentino* familiæ fuit, hoc est D. Dominici alumnus, plura scire cupis, adi Dissertationem meam *De Auctoribus ab Andrea Dandulo laudatis in Chronico Veneto* §. XIX. quæ *Rerum Italicarum* Tomo ultimo continetur.

IV. Verum quamquam probando Sabionensi S. Cassiani Episcopatui nulla tibi fundamenta suppetant, omnibusque solidis ac pri-

primigeniis documentis destituto, aqua prorsus hæreat, nihilominus dici vix potest, quot in partes te verteris, ne victas dare manus cogereris. MSS. libros Chorales, ut vocant, Liturgicos, Breviaria, Calendaria, Lectiones, Orationes, Hymnos, Carmina, & sexcenta ejusmodi recentiora documenta, quotquot per universam Teriolim reperiri potuerunt, singula excussisti; quæ quum sincera, & antiquitati consona quod ad reliquorum Sanctorum, hujus præsertim Provinciæ, res gestas pertinet, tu repereris, inde recte colligere te posse putas (pag. 109.) *Nullum Sanctum in his contineri, cujus Acta, utut modo deperdita, traditione tamen legitima ac firma continuata non fuerint a prima statim origine, atque hinc ea, quæ supersunt, instar reliquorum, indubia esse.* Quod argumentum adeo urges, ut *temerarium* atque *emotæ mentis* eum voces, qui hanc tuam illationem calculo suo firmare nolit. At quid hoc aliud est, quam si ex eo, quod quis aliquando non erraverit, eum numquam errasse, aut errare potuisse concludas? Do tibi monumenta illa veritati, & antiquitati in reliquis penitus respondere, quamquam in multis inficiari id merito posset. Num ideo in nullo peccabunt? Quis certæ cognitionis privilegio ea donavit, constantisque veritatis Oraculum esse constituit?

Sed

Sed ad versus Leoninos etiam confugis, quod scilicet in aliquo Breviario hæc duo de S. Cassiano carmina offenderis:

Vox Patris almivoma Christum docet in Sabiona:
Imula transfixum graphiis sic immolat ipsum.

Contendis igitur, versus quos Leoninos vocant, non Sæculi XIII. fetum, ut quibusdam placuit, sed multo esse antiquiores. In ætate autem illorum designanda vix tibi constas. Pag. enim 101. cum V. Cl. *Scipione Maffejo* Sæculo jam septimo, immo etiam sexto eosdem in usu fuisse agnoscis. Pag. vero 139. *Ut quod res est ingenue fatear* (inquis) *non inveni Sæculo VIII. in authoribus, quos tum consulere potui, versus tam certe, ut vocant, Leoninos, ut extra controversiam etiam a Criticis ut tales probentur.* Continuo vero Sæculi IX. exempla suggeris. At sub finem ejusdem Capitis ad Sæculum VIII. iterum redis, saltem quod ad duos a te allatos attinet, ais enim: *Haud difficulter mihi concedendum puto, hos quoque versus Leoninos ad Sæculum VIII. cum reliquo Breviario pertinere, ad tempus nempe restauratæ per Theodonem II. Sedis Sabionensis.* Verum octavo, septimo, aut etiam sexto Sæculo exorti sint versus Leonini, quid

quid hoc ad tuam caussam? Si antiquitatem duorum a te modo allatorum statuere tibi animus erat, non modo quando cœperint Leonini versus, sed etiam quando desierint, probandum fuerat. Parum enim refert quocumque demum tempore exorti sint, quum tamen usque ad Sæculum XIII. & ultra viguerint (ut nullo negotio ostendere possem, nisi certis confirmandis tempus inutiliter terere piaculum mihi esset) proindeque duo illi eodem Sæculo XIII. aut proxime sequenti fundi potuerint, nisi certum eorumdem auctorem designes. Ne quid interim dicam, Sabionensis Ecclesiæ restaurationem a Theodone II. factam, quam multis quidem verbis, nullo tamen probato teste pag. insuper 28. & 76. lectoribus tuis persuadere conaris, commentitiam prorsus esse censendam.

Postremo ad vulgi ineptias, & aniculatum deliramenta etiam delaberis; ais enim (pag. 81.) *Monstratur adhuc hodie Sabionæ turris olim religiose culta, ubi ab infidelibus captus detinebatur S. Præsul: monstratur vestigium pedis rupi prodigiose impressum: quin etiam catenas ferreas, quibus vinctus in ergastulo delituit, olim non sine veneratione adfuisse ab idoneis testibus accepi*. Dolendum sane tibi est, catenas illas nunc haudquaquam adesse, iis enim & Bol-

landi-

landianos, & me ipsum quoque durissime vinctos, in triumphum facile duceres. At non immerito ab ipsis forte Brixinensibus tandem confractæ sunt; constringendis enim colligandisque fabulis minus idoneas, licet sero, aliquando tamen ipsimet agnovere. Sed desine quæso, Roschmanne, antiquitatem Episcopatus Sabionensis S. Cassiani curiosius explorare, numquam enim eo quo velles, ascendes. Traditionem illam Sæculo IX. recentiorem esse compertissimum est; si enim aut ante, aut illo saltem Sæculo viguisset, *Anonymus*, qui ea ætate vivebat, Ingenuinum *Primum* Sabionensem Episcopum non pronuntiasset.

V. Verum Cap. XIII. tres, immo etiam quatuor ante Ingenuinum Sabionenses Episcopos nactum te esse gloriaris. Quid? *Officia Propria* Ecclesiæ Brixinensis *Lectione* IV. de S. Ingenuino hæc habent: *Ingenuinus primus post S. Cassianum, temporibus Gregorii Magni, & Ruperti primi Salisburgensis Episcopi, circa annum Domini quingentesimum nonagesimum Sabionensem rexit Ecclesiam*. Audin? Ecclesia Brixinensis nullum ante Ingenuinum Episcopum novit præter unum Cassianum: tu tres, aut quatuor fuisse contendis? Estne hoc illustrare, aut potius obscurare Ecclesiæ illius historiam? Quæ ex traditione, aut monumen-

tis ſuperſunt veterum factorum reliquiæ; eas in illis *Officiis* nobis ipſa exhibuit. Si tu illas falſi arguis, ac proſternis, etiam Brixinenſium traditiones & monumenta proſternis, dum pro illis vel maxime pugnare videris. Sed ſi te hanc in theatro fabulam agentem non ſine indignatione tantum, verum etiam libenter audiunt, tibi favent, plauduntque Brixinenſes ipſi, ſpectator ero & ipſe, & quidem attentus & patiens; neque enim eſt quod tum illi, tum ego a te quicquam timeamus. Speras tu quidem pluribus ante Ingenuinum in ſcenam productis Epiſcopis, totam, quæ *Anonymo* Mabilloniano inædificatur, fabricam facile evertere poſſe; ſi enim Ingenuinus quartus, aut quintus ſit, non primus Sabionæ Epiſcopus, & falſi evidenter arguitur Auctor ille, ſuus etiam Caſſiano locus minime denegandus. Quam tamen ex voto tibi ceſſerit tuus hic auſus, paucis perpendamus.

Sabionenſem Epiſcopum aliquem ante Ingenuinum colligere te poſſe putas ex his S. *Ambroſii* verbis Epiſt. LXIII. ad Eccleſiam Vercellenſem, a me quoque allatis pag. 49. laudatæ Diſſertationis: *Conficior dolore, quia Eccleſia Domini, quæ eſt in vobis, Sacerdotem adhuc non habet: ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ, Æmiliæ,* Vene-

Venetiarumque, *vel ceteris finitimis Italiæ partibus*, *bujusmodi eget officio*. Per *partes Italiæ finitimas* Rætiam I. & II. intelligi posse autumas (pag. *62.*) atque inde infers, Sabionensem Ecclesiam, quæ sub Rætia II. continebatur, suo Pastore S. *Ambrosii* ætate minime caruisse. Equidem Cap. X. Rætiam utramque ad Italiam pertinuisse probaveras: nunc quod Italiam expresse non nominet Mediolanensis Antistes, sed *Italiæ partes finitimas*, & tamen caussæ tuæ patronum advocaveris, anceps quodammodo hærere videris, & ad easdem partes Sabionam tuam remittis, quo scilicet ei Episcopum nanciscaris; sed frustra prorsus, & infeliciter. Per *partes Italiæ finitimas*, Rætias intelligat *Ambrosius*, ut lubet, non repugno. Quid tum? Nullam in iis partibus Ecclesiam fuisse testatur S. Præsul, quæ Episcopum non haberet. Tu Sabionæ eo Sæculo Ecclesiam fuisse proba: tum ego libenter concesserim Episcopo eam non vacasse.

VI. Novum Sabionensem Præsulem extundere conaris (pag. *61.*) ex his Schismaticorum Episcoporum (inter quos Ingenuinus) in Epistola ad Mauritium Imperatorem verbis: *Quod ante annos fieri cœperat: & in tribus Ecclesiis nostri Concilii, id est Beconensi, Tiburniensi, & Augustana*,

 na,

na, *Galliarum Episcopi constituerant Sacerdotes*. Per *Beconensem* enim Ecclesiam, seu *Brennensem*, ut alii legere malunt, Sabionensem commode intelligi posse arbitraris, ex eo quod *Otto Frisingensis Brixinoram in ipso Pyrenæo* (qui nunc *Brenner* mons est, a quo non longe abest Sabiona) sitam dixit. Vide quæso quo te disputationis æstus, atque intemperans Sabionensis Ecclesiæ quo jure quave injuria nobilitandæ libido, imprudentem abripuit. Cap. enim Quinto (pag. 16.) disertis verbis asseris: *Brixinam hanc nostram vix notam fuisse ante octavum Sæculum*; quod deinde in *Addendis* §. II. (pag. 132.) latius explicas confirmasque. Nunc tui ipsius immemor, etiam sexto Sæculo notam facis. Si enim sub *Brennensi*, Sabionensis Ecclesia latitat, quid aliud est *Brennensis* Ecclesia in illa Epistola memorata, quam *Brixinensis*, exigua scilicet litterarum mutatione in *Brennensem* versa, quod idem *Brixinora Ottonis* in medium adducta, statuere te velle videris? Scilicet conjecturas conjecturis opponis, omnia susque deque habes, & incertus ac nutans, destruis tumet ipse, quod paullo ante construxeras. Qua ratione hæc sibi cohæreant, tu vide. Ego enim abs te quæro, si Ecclesia, quæ nunc *Brixinensis* dicitur, sexto Ecclesiæ

Sæcu-

Sæculo *Sabionensis* vocabatur, ut certe vocabatur, quomodo eadem *Brennensis* dici poterat? Binomia igitur erat? At quo auctore id confirmas? *Si re ipsa* (verba tua sunt pag. 145.) *Ecclesia Veronensis unquam fuisset dicta Brennensis, id in Authoribus, Lapidibus, ac Tabulariis certe invenisset Maffejus*. Id ipsum ego de te jure dixerim. Ingenuinus *Sabionensis* ab omnibus dicitur, numquam *Brennensis*; immo se ipsum in eo Supplici ad Mauritium Imperatorem Libello *Sanctæ Ecclesiæ Secundæ Rætiæ Episcopum* vocat. Cur non *Brennensem*, aut potius *Brennensium*, si quidem more ætate illa recepto, nomen te ipso judice (pag. 159.) verisimile est a gente fuisse mutuatum?

At magno eruditionis apparatu nil propemodum intentatum relinquis §. IV. *Addendorum*, quo tandem Ecclesiam in Rætiis, quæ *Brennensis*, aut *Beconensis* appellaretur, Sæculi VI. initio extitisse evincas, quæ non alia dicenda sit quam Sabionensis. *Brenni*, *Breuni*, *Becuni*, *Briones*, aut *Breones* Rætiarum populi fuerunt, ut veterum scriptorum auctoritate probatur. Potuit igitur (ita tu ratiocinaris) ex iis denominari Ecclesia aliqua *Beconensis*, vel *Brennensis* in Rætiis. Sed Ecclesia Sabionensis in Rætiis est, ut nemo negaverit. Ergo

go hæc poteſt eſſe Eccleſia illa *Brennenſis*, aut *Beconenſis*, quæ a *Brennis*, vel *Becunis* originem trahere potuit. En unico proſpectu ſtupendum illud ædificium, quod proprio ingenio a fundamentis excitare es aggreſſus. Et ſane ſi quo nomine ante Sæculi VI. initium Sabionenſe oppidum appellabatur, nos lateret, integrum tibi profecto fuiſſet hariolari, atque inani illa pictura animum paſcere: nunc quum contra ſit, quid opus eſt verbis, ut Eccleſiæ nomen, quam inibi ſitam fingis, conjectando divines? Certe *Antonini Itinerarium* *Sublavionem* notat; quo loco *ſub Savione* primitus ſcriptum fuiſſe, recte *Cluverius* opinatur, atque oppidum illud eſt, quod poſtea *Sabio*, *Sabiona*, *Sebana* dictum fuit, vulgo nunc *Seben*. Idem nomen legere eſt in *Tabula Peutingeriana*. Porro *Antonini Itinerarium*, ut modo illud habemus, poſt Conſtantini Magni tempora abſolutum fuiſſe, hoc eſt inclinante Sæculo IV. communis eſt doctorum virorum ſententia. Eamdem ferme ætatem redolet *Tabula Peutingeriana*, utpote quæ anno XV. imperii Theodoſii Majoris, hoc eſt anno Æræ Vulgaris CCCXCIV. concinnata fuerit, ut viro doctiſſimo *Marco Velſero* adnotatum Epiſt. 5. ad *Joſephum Scaligerum*; ex quibus dilucide patet, Sabionæ nomen jam

inde

inde a Sæculo IV. inclaruiſſe, quod deinde nomen ad finem uſque Sæculi VI. & multo etiam poſt (ut tu ipſe, puto, non diffiteberis) perduravit. Nullus igitur locus reliquus ſit *Beconenſi*, aut *Brenneſi* Eccleſiæ Sæculi VI. initio; ſed ſi Eccleſia aliqua eo tempore Sabionæ conſtituta fuit (quod tamen nuſquam a te probatum) Sabionenſis certo certius vocabatur, non *Brennenſis*, aut *Beconenſis*.

VII. Neque vero eſt, quod *Brixinam* in auxilium advoces, quo ſcilicet periculum facias, num in *Beconenſem*, aut *Brennenſem* Eccleſiam illam transformari a te facilius poſſit. Si enim Sabiona huic tuæ metamorphoſi parum feliciter reſpondit, novamque formam induere recuſavit, ſubvereor ne hæc fortius etiam reſiſtat. Certe Brixinam ante octavum Sæculum vix notam fuiſſe tu ipſemet faſſus es, & merito quidem ac jure. Anno enim DCCCXXVIII. oppidum, immo nec pagus fuiſſe videtur, quum *locus* dumtaxat dicatur: *ad locum, quæ dicitur Preſſena*, ut legere eſt in Charta veteri anno illo ſignata apud *Carolum Meichelbekium Hiſtoriæ Friſingenſis* Tom. I. Part. II. Num. 532. Anno DCCCCI. ut ex Diplomate a te ipſo (pag. 135.) allato, fit manifeſtum, *Curtis* appellabatur, quæ vox medio ævo ſonabat agreſtem quan-

B 4 dam

dam habitationem ædificiis, colonis, servis, & latifundiis ad rem rusticam necessariis instructam. Tandem (*Matthæo Radero* teste Tom. II. *Bavariæ Sanctæ* in Vita S. Lucani) sub Othone III. qui ab anno DCCCCLXXXIII. ad annum usque MII. imperavit, mœnibus cincta, oppidi nomen indepta est, quod tamen *Joannes Aventinus Annalium Bojorum* Lib. V. Cap. *6.* num. *9.* & *Wigulæus Hundius* in *Metropoli Salisburgensi* aliquanto serius factum fuisse tradunt, hoc est ab Hartwico Sabionensi Episcopo circa annum Æræ Vulgaris MXXXVIII. ex quibus omnibus Brixinæ ortus, atque ut ita dixerim infantia, & adolescentia prorsus patescunt. Nihil igitur ex eo nomine extundere potes, quo *Brennensem* Ecclesiam aliquam, ubi nunc Brixina est, olim fuisse comminiscaris, quum Brixina nondum ea tempestate orta esset. Quare *Beconensi*, aut *Brennensi* Ecclesiæ neque tu lucem aliquam præbere potes, neque illa tibi.

At inquies, nihil ne igitur conjecturis dandum? Dandum vel maxime, sed quum auctores, & documenta deficiunt: testibus autem, iisque locupletissimis occurentibus, ex quibus validissimæ probationes deducuntur, conjecturas recedere necesse est, nisi Arti Criticæ nuntium omnino remittere

velis.

velis. Ex *Antonini Itinerario*, & *Tabula Peutingeriana* luculenter discitur quo nomine antiquitus appellaretur Sabiona; ut quid igitur non acquiescis, ut quid nova nomina confingis, sollicite investigans ac quærens quod jam inventum ac detectum, ante omnium ora oculosque versatur?

VIII. Verum enimvero quænam igitur est, & ubinam gentium statuenda *Beconensis* Ecclesia a Schismaticis Episcopis in illo Supplici ad Mauritium Libello memorata? Si tu porro ita me interpellas, importune prorsus, & præter rem id facis. Quid enim si nodum hunc Gordium solvere minime possem? Num ideo concludendum esset, *Beconensem* Ecclesiam unam eamdemque esse ac Sabionensem? Quænam fuerit, non assequuti sunt tot ante me doctissimi viri. Quid, si me quoque nescire fatear? Verum ne *Beconensis* Ecclesia tibi diutius animo obversetur, tandemque agnoscas nihil in ea perfugii a te statui posse, mentem tibi meam libentissime aperiam. Antequam tamen id facio, Schismaticorum verba ipsa audire præstat. *Sed quia Galliarum Archiepiscopi* (inquiunt illi) *vicini sunt, ad ipsorum sine dubio ordinationem accurrent, & dissolvetur Metropolitana Aquilejensis Ecclesia sub vestro imperio constituta, per quam Deo propitio Ecclesias*

in

in gentibus possidetis. Quod ante annos fieri cœperat: & in tribus Ecclesiis nostri Concilii, id est Beconensi, Tiburniensi, & Augustana Galliarum Episcopi constituerant Sacerdotes. Et nisi ejusdem tunc divæ memoriæ Justiniani Principis jussione commotio partium nostrarum remota fuisset, pro nostris iniquitatibus pæne omnes Ecclesias ad Aquilejensem Synodum pertinentes Galliarum Sacerdotes pervaserant. Factum id Justiniano imperante, quum nempe Alemannorum nationem a Gothis dimissam in suam potestatem redegerunt Franci, atque ultra etiam progressi, plures Italiæ Provincias occuparunt; qua de re ita *Procopius* Lib. IV. *De Bello Gothico* Cap. XXIV. *Paullo ante Francorum Rex Theodebertus morbo obierat* (quod accidit anno Æræ vulgaris DXLVII.) *quum sibi nullo negotio tributaria fecisset nonnulla Liguriæ loca, Alpes Cottias, agrique Veneti partem maximam. Etenim Franci arrepta belli, quo Romani Gothique erant impliciti, opportunitate, sine discrimine ditionem suam iis locis auxerunt, de quibus illi pugnabant. Venetorum pauca oppida Gothis supererant; nam Romani maritima, Franci cætera occuparant.* Idem Cap. XXVI. auctor est, Narsete in Italiam anno DLI. misso, *Agri Veneti loca tenuisse præsidiis Francos.* Ex *Agathia* quo-

que

que Lib. II. discimus, Leutharim Francorum exercitus ducem, *Pado transmisso, in Venetiam deflexisse, Cenetæque constitisse.* Inde intelligitur (ut recte monet V. Cl. *Bernardus Maria de Rubeis Monumentorum Ecclesiæ Aquilejensis* Cap. XXI. Num. 2.) cur Schismatici Episcopi dixerint: *Nisi divæ memoriæ Justiniani Principis jussione commotio partium nostrarum remota fuisset, pro nostris iniquitatibus pæne omnes Ecclesias ad Aquilejensem Synodum pertinentes Galliarum Sacerdotes pervaserant.* Quum enim Franci maximam Agri Veneti partem occuparent, periculum erat, ne ipsas quoque Venetiæ Ecclesias invaderent Galliarum Sacerdotes; quod tamen Francis inhibuit Justinianus, Norici, & Vindeliciæ possessione ipsis confirmata, ne ditionem ultra protenderent. Hinc patet, nulla nos necessitate cogi, ut *Beconensem* Ecclesiam in Rætiis statuamus. Potuit esse in Rætiis, potuit in Norico, potuit in ipsa Venetia, modo fuerit Metropolitæ Aquilejensi addicta, tres enim Ecclesias *sui Concilii* nominant Schismatici Aquilejenses, & nihil prætera addunt.

At quando in Rætiis eam figere tibi perplacet, do tibi Ecclesiam in Rætiis Aquilejensi subjectam, quæ *Beconensis* in Libello Supplici recensita potiori jure quam Sabio-

bio-

bionensis, sive quæcumque alia dici possit. Belunum, vulgo nunc *Cividal di Belluno*, vetus urbs est *Plinio*, & *Ptolæmeo* memorata. *Ughellus*, *Cluverius*, *Cellarius*, aliique eam Rætiis accensent, immo postremi duo ubi in *Plinio* Lib. III. Cap. XIX. legitur: *Fertini*, *Tridentini*, *Berunenses* (al. *Beruenses*) *Rætica oppida*, Belunenses interpretantur, quibus consentit *Joannes Harduinus* in *Notis* ad laudatum *Plinii* locum. In ea urbe VI. Sæculo Ecclesiam constitutam fuisse, non est quod dubites. Laurentius enim Belunensis Episcopus ordine nonus, tum Synodo Marianensi a Schismaticis anno DXC. vel, ut aliis videtur, DLXXXVII. convocatæ; tum Supplici ad Mauritium Libello anno DXCI. dato, simul cum Ingenuino de Sabione subscripsit; ex quibus constat Aquilejensi Præsuli jam tum paruisse, eidemque paret etiamnum. Quam facile autem vox *Belunensis*, in *Becunensem*, aut *Beconensem* verti potuerit, nemo non videt, duarum scilicet litterarum, aut etiam unius dumtaxat mutatione. Hæc igitur dubio procul dicenda est *Beconensis* Ecclesia illa tantopere non modo a te, verum etiam ab aliis frustra quæsita; ut prorsus demirer tot doctissimos, atque in Ecclesiastica Italiæ Historia exercitatissimos viros, rem minime diffi-

difficilem non ſtatim fuiſſe adſequutos. *Bollando*, qui Tom. I. Februarii in Actis S. Ingenuini, in *Brennis*, *Breunis*, aut *Breonibus* eam ſtatui poſſe putat (ex cujus deinde fontibus hortulos tuos irrigaſti) hincque *Breonenſis*, *Breunenſis*, ſive *Brenenſis* legendum eſſe judicat; recte *Pagius* in *Critica in Annales Baronii*, ad annum DXC. Num. 14. reſpondet: *Sed quum hic* (*Bollandus*) *non oſtendat*, *horum populorum Urbem Epiſcopalem fuiſſe*, *hæc conjectura non admittenda*; cui tamen difficultati interpretatio mea minime ſubeſt. Opponi quidem poſſet, tres Eccleſias in Libello Supplici memoratas, hoc eſt *Beconenſem*, *Tiburnienſem*, & *Auguſtanam*; poſtquam ad Gallos Metropolitas tranſierant, non videri amplius Aquilejenſi paruiſſe; proindeque Belunenſem, quæ citra dubium Aquilejenſi Epiſcopo ſubjiciebatur, iis accenſeri non debere. Sed ea animadverſio, aut nil prorſus ſententiæ meæ officit, quum reponi facile poſſit, aliquam ſaltem trium illarum Eccleſiarum ad priſtinam Metropolim rediiſſe: aut ſi vim aliquam habet, ea certe contra te æque ac contra me pugnat, non minus enim Sabionenſis, quam Belunenſis Eccleſia anno DXCI. Aquilejenſi parebat.

At *Bernardus de Rubeis Bollandi* conjectu-

jecturam amplexus est. Quid tum? Si exquisitiora fercula ei in promptu fuissent, lautiori convivio lectorem suum excepisset: jam quum nulla suppeterent alia, quæ habebat apposuit. Idem Cl. Vir. Cap. VI. Num. 7. laudati Operis *Hundii* sententiam refert, qui S. Cassianum primum Sabionæ Episcopum a Fortunatiano Aquilejensi Antistite initiatum fuisse affirmat anno circiter CCCL. Juliano vero Apostata imperante martyrio coronatum. At si *Prudentio* fides habenda, Cassianus Forocornelii passus est in sæva & generali Ecclesiæ persecutione, qualis post Constantini Magni tempora in Italia nulla fuit. Præterea idem *Prudentius*, qui anno Æræ vulgaris CCCXLVIII. jam natus erat, *vetusti temporis historiam* vocat Cassiani martyrium, quod profecto dicere non potuisset, si Juliano imperante, qui anno CCCLXIII. sublatus est, factum id esset, sua enim ipsius ætate res accidisset. Nihilominus non modo hæc non refellit Vir doctissimus, sed etiam *Baronii* objecta diluit; immo Cap. XX. Num. 3. ejusdem Operis inde arguit, Sabionensem jam a temporibus Fortunatiani Aquilejensi Præsuli paruisse. Sed cur non æque sibi diluenda proposuit argumenta *Antonii Crosini* primo Vicarii, tum Episcopi Brixinensis, qui magno ratio-

tionum pondere ſententiam de Caſſiani martyrio ſub Juliano Apoſtata egregie evertit apud *Raderum* Vol. III. *Bavariæ Sanctæ* in Vita S. Caſſiani? Scilicet non ſua res agebatur: perfunctorie hæc attigit; neque ſcrupuloſius diſcuſſit. Si advertiſſet quibus argumentis conficitur, Ingenuinum primum fuiſſe Sabionenſis Eccleſiæ Antiſtitem, profecto eo quo eſt ingenii acumine præditus, neque Caſſianum, neque alium in ea Sede ante Ingenuinum Epiſcopum admiſiſſet.

Ceterum laude hic ſua minime fraudandus *Marcus Hanſizius*, qui Tom. I. *Germaniæ Sacræ* in *Prolegom*. Cap. XVII. Num. 5. hanc eamdem quæſtionem attigit, aitque: *Diſerte nominant* (Aquilejenſes Schiſmatici) *Eccleſiam Tibornienſem*, *Becanenſem*, *Auguſtanam*, *quarum prima indubitate eſt in Norico*, *reliquarum duarum interpretatio ambigua*: *in Norico tamen extitiſſe ſuſpicio eſt*, *pro Beconenſi enim videtur legendum Betovenſis*. Quæ quidem *Betovenſis* Eccleſia eodem auctore in *Corollariis* Num. 4. eadem eſt ac *Petovienſis*, ſeu *Petovionenſis*, aliis *Petavienſis*, *Petabionenſis*, cujus Epiſcopi Victorinus (in *Romano Martyrologio* IV. Non. Novembr. minus recte *Pictavienſis* appellatus) Marcus, & Julianus Valens in veteribus monumentis comme-

memorantur. Quam facile enim P. littera ob soni ac formæ affinitatem pro B. ab amanuensibus accipiatur, omnes norunt. Quæ sententia, licet postea docto Viro minus arriserit, eaque in iisdem *Corollariis* Num. I. revocata, *Bernensis*, seu *Beronensis* legendum esse conjecerit, ac Veronam intellexerit; tamen quum sit posteriore multo verosimilior, illi utique præferenda; *Petovium* enim Norico finitimam fuisse constat, immo Noricorum oppidis adscribunt *Itinerarium Hierosolymitanum*, circa postremos imperii Magni Constantini annos scriptum, *Ammianus Marcellinus* Lib. XIV. Cap. XXXVII. & *Zosimus* Lib. II. Cap. XI. ex emendatione *Reinesii*.

IX. Hæc quum ita sint, vide quæso, Roschmanne, quo jure scripseris (pag. 159.) *Nemini dubium hærere amplius posse, controversum hunc locum de sola Sabionensi Ecclesia explicari posse, imo debere*. Quam tuam sententiam paullo post certam atque indubitatam pronuntias, immo addis contrarium aliquid ne vel somniari quidem posse. At si quod res est, libere fatendum, jucundissimo cuidam somnio mihi potius quam simillima videtur opinio tua, quam nulla prorsus ratione, nullo fundamento lectoribus tuis propinare contendis.

Ne-

Neque vero majoris momenti ea ſunt, quæ poſtea ſubdis, hoc eſt ſolum tunc Sedis Sabionenſis Præſulem Ingenuinum Rætiæ Epiſcopum fuiſſe, qui ad Metropolim Aquilejenſem pertineret. Soli Rætiæ ad Francos delatæ, & eminenti eorum imperio tum adhuc ſubditæ, Eccleſiam Epiſcopalem non eſſe negandam. Poſtremo, Supplici Libello primum omnium ſubſcripſiſſe Ingenuinum, quare eum propriam ſedem habuiſſe neceſſe ſit. Nam quod ad primum attinet, præterquam quod totum id, ut modo vidimus, manifeſte falſum eſt, ut ex eo aliquid per te inferri poſſet, probandum tibi eſſet, *Beconenſem* Eccleſiam nuſquam omnino niſi in Rætia ſitam eſſe potuiſſe; quod quibus demum monumentis, quibus tabulis unquam confirmabis? Ad ſecundum quod ſpectat, minime aſſequor cur Rætiis, etiamſi Francorum imperio ſubditis, neceſſario Epiſcopus ſit tribuendus VI. Sæculi initio, quando tot illuſtriores Germaniæ civitates multo etiam poſt eodem caruerunt; immo in ipſa Italia Concordienſis, & Feltrenſis Eccleſiæ (ut de aliis interim ſileam) illa quidem Clariſſimo, hæc autem Fontejo, qui ambo Ingenuini coævi, ac Schiſmatis ſocii fuerunt, antiquiores Epiſcopos non agnoſcunt. Tertio denique argumento reſpon-

 detur,

detur, Ingenuino propriam Sedem a nobis non denegari, Sabionæ enim Episcopum eum fuisse fatemur, licet ante illum nullum Sabionensem Episcopum agnoscamus. Vide, quæso, num hæ tuæ probationes tanti ponderis sint, ut jure ac merito iis tandem verbis potueris orationem concludere: *His, ut puto, non obiter aut perfunctorie monstratis, majus adhuc aliquid audeo dicere, hoc nempe: quomodocumque scripserit librarius, quomodocumque discordent exemplaria, aut eadem interpretati sint Commentatores, consideratis omnibus circumstantiis, pensitatisque ad omnem crisin rationibus; alia quam Sabionensis Ecclesia hic intelligi non potest*. Aquam contundis mihi crede, Roschmanne, si pro tuo arbitrio, non ex Historiæ Criticæque Artis decretis de Ecclesiarum origine & antiquitate aliquid decernere audes.

X. At cominus congrederis, & Sabionensem Episcopum ante Ingenuinum unum atque alterum non vagum illum quidem, & cujus nomen ignoretur, sed certum ac designatum depromis, hoc est *MATURNINUM*, & *LUCANUM*. Frustra hactenus laborasti; num feliciore successu operam modo tuam impenderis, dispiciamus.

Ex Synodi Gradensis Actis anno Æræ Vulgaris DLXXIX. ut creditur celebratæ,

Ma-

Maturninum colligi poſſe confidis. Miſerum perfugium! Ergo etiam monumenta ſuppoſititia & conficta in auxilium advocas, ut cauſſæ tuæ patrocineris? Non probavi quod argumentis relictis, ad conjecturas diverteres: minus certe probaverim impoſtorum fraudibus auctoritatem quam habent nullam, a te modo maximam tribui. *Bernardo de Rubeis*, *Manſio*, *&* *Maffejo*, *ſi non conficta*, *ſaltem ſuſpecta* videri Acta illa fateris (pag. *66.*) At ego hic fidem candoremque tuum, Roſchmanne, deſidero; diſertiſſimis enim verbis *Monumentorum Eccleſiæ Aquilejenſis* Cap. XXVIII. Num. I. ait *Bernardus de Rubeis: Eadem Acta Synodi Gradenſis*, *Epiſtolamque Pelagii II. ad Eliam datam paullo attentius expendenti*, *CONFICTA mihi videntur illa & SUPPOSITITIA*; & quod pluris eſt, adeo firmis rationibus, adeo invictis argumentis ſententiam ſuam ſtatuere pergit Vir doctiſſimus, ut commiſeratione potius dignus videatur, qui in Actis illis ulterius tuendis oleum atque operam perdat. Quam in rem legi pariter meretur ***Fratrum** Ballariniorum de Patriarchatus Aquilejenſis origine Diſſertatio* Tom. IV. Operum Cardinalis *Noriſii* pag. 1051.

Sed ne cui ſcrupulus aliquis hæreat, tibique omnino fiat ſatis, ponamus eadem

Acta ſincera & genuina eſſe, ſimulque quid ex iis pro te elici poſſit, inquiramus. Integra & primigenia affert *Andreas Dandulus Rerum Italicarum* Tom. XII. & quidem, ut ipſe ait, *ex authenticis & vetuſtiſſimis Codicibus* depromta. Inter Epiſcopos, qui Synodo ſubſcripſere, legitur ibidem: *Martianus Presbyter locum faciens Viri Beatiſſimi Ingenuini Epiſcopi S. Eccleſiæ Secundæ Ratiæ. Agnellus Epiſcopus S. Eccleſiæ Tridentinæ ſuperveniens his geſtis ſubſcripſi. Ferdinandus Ughellus* Tom. V. *Italiæ Sacræ* in Patriarchis Gradenſibus eorumdem Actorum mentionem facit ex vetuſto *Chronico*, quod *Gradenſe* dici ſolet, in quo tamen non integra dantur, ſed Synodi dumtaxat hiſtoria affertur, ibique legere eſt: *Ingenuus Epiſcopus Secundæ Ratiæ, Agnellus Epiſcopus Tridentinus ſubſcripſerunt*. Scilicet Hiſtoriographo feſtinanti, quum ad Epiſcoporum ſubſcriptiones, quæ multæ & variæ ibidem recenſentur, ventum eſſet, ſatis fuit brevioribus verbis Epiſcoporum nomina enuntiare. Idem dicendum de Synodo Mantuana anno Æræ Vulgaris DCCCXXVII. celebrata, in qua ejuſdem Gradenſis Synodi narratio inſeritur; quare hoc tantum ibi legere eſt: *Materninus Sabionenſis, Flaminius Tridentinus ſubſcripſerunt*; manifeſto errore, & quidem dupli-

duplici, *Martianus* enim Presbyter, qui Ingenuini personam gessit, & *Maternitus* perperam appellatur, omittendus erat, & ejus loco Ingenuinus ipse nominandus, pro ut recte factum in *Cronico Gradensi*: deinde vero loco *Agnelli* Tridentini Episcopi, *Flaminius* obtruditur, qui ignotus prorsus Antistes est, neque a quoquam inter Tridentinos Præsules numeratur. Id minime mirum, nam Codicis scriptor, ex quo Mantuana illa Acta desumta sunt, ita præfatur: *Descripsi, ut vides, confuse in Brunecca oppido Norico ejusdem Ecclesiæ Brixinensis anno MCCCCLX.* ut monente *Josepho Blanchinio* Romani Oratorii Presbytero, ubi Codex adservatur, refert *Bernardus de Rubeis* laudati Operis cap. XLVII. Num. I.

Porro quis credat ex hactenus allatis *Maturninum* aliquem Sabionensem Episcopum a te in scenam induci posse? Spem tamen omnem non abjicis. Acta Synodi Mantuanæ præ omnibus eligis, & quod ibi legatur *Materninus Sabionensis* (hoc est *Martianus* Presbyter, qui Ingenuini loco subscripsit, & errore librarii *Materninus* vocatur) inde *MATURNINUM* Sabionensem Episcopum confingis. Scilicet eadem perpetuo aberras chorda: ex lacunis omnia hauris; & quum fontes & flu-

mina præsto sint, aquam e pumice postulas. Perge porro: Jovem etiam ipsum ea ratione superaveris. Ipse enim ex proprio cerebro unam dumtaxat Minervam produxit: tu ex tuo multos nobis Episcopos educis. Quem fetum ut foveas, ac inventioni inservias, mirum est quam multa comminiscaris; plures enim Codices Mantuanæ Synodi commemoras (pag. *68.*) quorum alterum altero emendatiorem prenuntias: quando unicus tantum superest, hoc est Vallicellanus. *Apud Authores Synodum Gradensem impugnantes* (subdis pag. *66.*) *controversum minime esse*, *has subscriptiones non referre veros illorum temporum Episcopos*. Quando nullus ipsorum (de *Mansio* non habeo quid dicam, ignotus enim mihi auctor est) id asserit: immo putant, si *Bernardum de Rubeis* excipias, qui ut Actorum consarcinatoris ingenium expendat, de solo Tiburniensi dubitationem ingerit) veros illorum temporum Episcopos referre, licet ea fide, qua ficta & supposititia nituntur; unde inconstantia, & lectionum diversitas repetenda. *Quam enim varia* (ut merito exclamat idem doctissimus Vir) *longeque diversa sunt*, *quæ pro genio excogitantur!..... Nec enim ut una veritas*, *ita unum mendacium est*.

At, inquis, si Ingenuinus, non vero alius,

alius, qui in Episcopatu eum præcesserit, Synodo Gradensi anno DLXXIX. celebratæ interfuit, idemque, ut ex *Pagii* conjecturis colligitur, intra annos DCXXIV. & DCXXX. in exsilium fuit missus; sedisse eum ut minimum annos quinque supra quadraginta dicendum esset, *quod difficile omnino videtur*. Sed Acta Synodi Gradensis (iterum dico) supposititia & conficta sunt. Noli eis fidere. Caussæ tuæ pessime consulis, si eam tenebrionibus & nugivendulis committis. Si quid absurdi ex iis Actis sequitur, id quod verum est, continuo in dubium ne revocare velis, sed potius falsitatem illorum inde argue; luce enim tenebræ dispelluntur, non lux tenebris.

Verum quando illa uti genuina, disputationis gratia, hactenus consideravimus, age porro eodem loco habere pergamus. Quod de tempore, quo Ingenuinus vivendi finem fecit, *Baronius*, *Bollandus*, & *Pagius* referunt, non certo aliquo auctorum testimonio probant, sed ex conjecturis, iisque levissimis, ne dicam falsis, ut infra videbimus, arguunt. Et sane, si anno DXCI. Supplici ad Mauritium Imperatorem Libello primus subscripsit, quod, ut videtur, plures in Episcopatu annos ageret, quam reliqui collegæ eidem Libello

ſubſcripti; veroſimile certe non ſit, eumdem ad annum uſque DCXXXVIII. aut etiam DCXXIV. vitam produxiſſe. At fac ſcriptorum auctoritate, invictisque rationibus omnia firmata ſint. Quid mirum, Ingenuinum ſupra quadraginta annos Sabionenſem Sedem tenuiſſe? Nullane ejus rei exempla ſuppetunt cum in veteri, tum in recentiore Eccleſiaſtica Hiſtoria? Immo obvia quam maxime ſunt, & a nobis ne longius ea perquirantur, atque ab ipſa Brixinenſi Eccleſia non diſcedamus, poſtremus ejuſdem Præſul, hoc eſt Gaſpar Ignatius Comes Künigl, qui ante annos duos diem obiit extremum, quinque ſupra quadraginta annos eam feliciter gubernavit. Etiam primis Eccleſiæ Sæculis ſi morum probitas, & doctrinæ præſtantia id poſcere videretur, juvenes aliquando ad Epiſcopatum adſciſcebantur, quod S. Vigilii Tridentini Epiſcopi exemplo confirmatur. Videſis quæ in hanc rem protuli §. XLIII. Diſſertationis de origine Eccleſiæ Tridentinæ, neque enim ea hic repetere animus eſt. Quod ſi quis vigeſimum quintum exempli gratia, aut trigeſimum ætatis annum agens eligatur Epiſcopus, quid mirum ſi etiam ultra quadraginta annos in Epiſcopali Sede permaneat?

Neque vero ullius roboris eſt quod ad-

dis

dis (pag. 68.) scilicet, si Synodi Gradensis Actorum partem postremam ad Paullini Aquilejensis Episcopi Conciliabulum anno DLVII. convocatum, cum *Bernardo de Rubeis* pertinere dicamus, tunc utique etiam Episcoporum subscriptiones ad illud tempus pertinere dicendum esse, proindeque Ingenuino septuaginta ferme Episcopatus annos tribui oportere. Ut enim tibi dem docti illius Viri conjecturam undequaque tutam ac firmam esse, evidentissimum tamen est ex ipsis Actorum verbis, subscriptiones illas non ad postremam, sed ad primam illorum partem referendas esse; diserte enim in ea prima parte legitur: *Et reliquis Episcopis, & Sacerdotibus, quorum nomina subscriptiones propriæ manifestant*.

Sed quisquiliis hujusmodi discutiendis diutius immorari nec vacat, nec lubet. Illud dumtaxat addiderim *Maturninum* illum tuum etiam domesticis documentis repugnare; nam si Ecclesiæ Sabionensi ante Ingenuinum præfuit, cur *Maturninus* alter, qui ab Ingenuino sextus est, & in Catalogis Sabionensium Episcoporum apparet, non appellatur *Maturninus Secundus*, sed simpliciter *Maturninus*? Repones fortasse Catalogorum conditores primum illum *Maturninum* ignorasse. Sit ita. Non

igi-

igitur, inquam ego, ex Sacris Diptychis, aut puriore aliquo fonte deducti sunt Catalogi illi, sed ad libidinem confecti; proindeque aut *Maturninum* Ingenuino antiquiorem repudies oportet, aut illo admisso, tota Catalogorum tuorum fides & auctoritas corruit, pro qua tamen tuenda manus identidem conferis.

XI. Quod ad alterum Sabionensem Episcopum a te assertum attinet, hoc est *Lucanum*, quem invitis Catalogis omnibus, una *Philippi Ferrarii* auctoritate nixus, invehere non erubescis (pag. *61.*) mirari satis haud possum, Virum eruditione præstantem, & Arti Criticæ non infensum, qualem te cum in hac, tum in reliquis lucubrationibus tuis præstas, non pervidisse quam infirmum ac debile sit argumentum illud. Siccine ergo ad Critices Artis regulas, rectæque rationis normam antiquitatem exigis, ut rem primis Ecclesiæ sæculis gestam, fide Auctoris, qui nudius tertius floruit, inferioris subsellii, & qui non sine dubitatione loquitur, tanquam veram lectoribus tuis vendites? Quid, quæso, interest tali Auctore, & nullo omnino auctore loqui? Hæcne decent *indefessum antiquitatum Sabionensium scrutatorem*, quemadmodum in Epistola Nuncupatoria te ipsum appellas? Pudeat te prorsus Bollan-

dianis

dianis viris doctissimis objecisse (pag. 1.) *Omni fere litterario apparatu sacro, & profano, ac præcipue MSS. nostris Codicibus destitutos esse*. Neque enim decet, in tanta rerum inopia & mendicitate paupertatem aliis te objectare.

Lucani Acta in Tabulariis Ecclesiæ Belunensis, quæ Sancti ejusdem viri reliquias servat, reperiri dicuntur. In iis vocatur Episcopus *Brixinensis*, licet Cælestino I. Summo Pontifice, hoc est V. Sæculo ineunte, floruerit, quum nempe nulla erat Brixina. Præterea tradunt eadem Acta, Lucanum a suis accusatum, ac propterea Romam usque progressum, quum pallium coram Pontifice ad Solis radios siccandum suspendisset, non ab ullo illud clavo pependisse, sed iisdem radiis quasi paxillis quibusdam fuisse sustentatum; quod idem legere est de S. Florentio Argentoratensi Episcopo apud *Laurentium Surium* Die VII. Novembris. Ex quibus jure quis suspicetur, Acta illa a recentiore quopiam consarcinatore fuisse conficta, qui (quum genuinis documentis destitueretur, & tamen aliquid litteris consignare percuperet, aliunde corrasit, quod narrationi insereret suæ. Nihil olim pretermisere Bollandiani, quo eadem Acta eruerent, at responsum retulerunt: *Nihil prorsus extare in scriptis*

de

de vita S. Avatiæ, & S. Lucani: id solum constare, & dici posse, quod a populo fideli habeantur in veneratione, & colantur ut Sancti; quare hæc addunt Antuerpienses: *Ferrarius citat monumenta Ecclesiæ Belunensis, quæ mirum est, ibi hodie amplius non superesse: an quod Belunenses ipsi satis perspiciant, pro genuinis admitti vix posse?* Quid plura? *Ferrario* ipso judice in iis *Nonnulla continentur fabulis proxima, veluti, quod ursum, qui sibi in itinere equum devoraverat, Romam usque ad Pontificis conspectum equitaret; ac perdices, quibus in itinere præceperat, ut Romam convolarent, Pontifici donandæ, illæ ante Pontifici adfuerint*. Ursi fabula etiam Romedio nostro, aliisque Sanctis Viris affingitur. Utut sit, Lucani Sanctitati nihil ego hic detractum volo. Illud dumtaxat contendo, si Ecclesiæ alicujus regimini præfuit, Sabionensem haudquaquam illam esse potuisse, quum ea tempestate nulla adhuc Sabionæ constituta fuerit Ecclesia.

XII. Atque hæc ferme sunt, Roschmanne, quæ ut *Anonymi* Mabilloniani fidem atque auctoritatem elideres, & ante Ingenuinum non modo Cassianum, sed alios quoque Episcopos Sabionensi Sedi præfuisse ostenderes, a te excogitata fuerunt, quibus suffultus, *temere* a me (humanitatis

tuæ

tuæ certe hac vice immemor) ſtatutum fuiſſe contendis (pag. 59.) Ingenuinum primum fuiſſe Sabionenſis Eccleſiæ Præſulem. Nunc vero te ipſum judicem appello, rogoque atque obteſtor, ut attento animo, & a partium ſtudiis alieno perpendas, uter noſtrum rationem ducem rectius ſit ſequutus, uter ad veritatem propius acceſſerit, uter de ipſa Brixinenſi Eccleſia magis meritus ſit: an tu, qui falſis documentis, paralogiſmis, hariolationibus, fabulis illius dignitatem ac præſtantiam tueri aggreſſus es: an ego, qui veterum ſcriptorum auctoritate, & argumentis (quantum materiæ ratio patitur) firmiſſimis munitus, quæ revera geſta ſunt, eruere tentavi, quodque res ipſa fert, libere edixi.

Erroris argui *Anonymum* Mabillonianum ab ipſomet Cl. Editore his ejusdem verbis aſſeris: *In ordine Sabionenſium Antiſtitum, vulgo Seben, quorum Sedes poſtea Brixinum migravit, ante Ingenuinum ponitur S. Caſſianus; & poſt Ingenuinum undecim alii ante Maſtulonem, qui in his verſibus ſecundus eſt.* Sed falleris, Roſchmanne. Senſum verborum *Mabillonii* aut non adſequutus es, aut te adſequutum non fuiſſe ſimulas. Non enim hæc ideo dixit, quod ullum in *Anonymo* errorem notare voluerit, ſed quod ex eo caſtigandos eſſe dome-

domesticos Brixinensium Catalogos judicaverit. Patet id ex primis *Adnotationum* verbis, quæ ita habent: *Ex premissis versibus, quos Sæculo IX. scriptos fuisse constat, corrigendi sunt vulgati Indices Episcoporum Metropolis Saltzburgensis*. Et sane eos Indices cum *Anonymi* versibus continuo confert doctissimus Editor, & primo quidem quinam Episcopi ex Salisburgensium Antistitum Elencho expungendi sint, diligenter adnotat: deinde ad Ratisponenses, & Frisingenses transit; atque iis excussis, tandem ad Sabionenses venit, & quid in iis pariter castigandum, quid expungendum sit, verbis modo a te allatis indicat. Illud idem repetit *Mabillonius* in *Annalibus* Tom. II. ad annum DCCXXXVIII. Num. 43. ubi hæc leguntur: *Hæc constant ex genuinis Indicibus a nobis editis, ex quibus vulgati emendandi sunt. Ceterum Sabionensis apud Noricos Episcopatus paullo serius erectus est, nec ei ullus proprius præfuit Episcopus ante Ingenuinum & Mastulonem. In his aliisque immane apparet apud Hundium discrimen*. Et ad annum DCCLXX. Num. 29. *Mendosus est apud Hundium, ut id in transcursu observem, primorum Sabionensium Episcoporum Index, quem ex pervetusto codice S. Emmerammi sic corrige:* Et statim subjicit *Anonymi* versus de Episcopis

pis Sabionenſibus. Hocne igitur eſt *Anonymum* erroris arguere? Fidem iterum, & ingenuitatem tuam deſidero; non modo enim hic, ſed alibi etiam, nempe pag. 18. *Mabillonium* iis ſcriptoribus accenſes, qui a partibus tuis ſtant, & id ipſum, quod *Hundius*, ſenſere.

XIII. Sane ad *Anonymi* illius vim & auctoritatem, quam habet maximam, infringendam nullum ſupereſſe effugium video, niſi quis obtendat, ejuſdem ætate famam de Caſſiani adventu Sabionam, & Eccleſiæ illius conſtitutione nullam prorſus viguiſſe, deperditis ſcilicet, aut latitantibus veteribus monumentis, quæ poſtmodum ex denſiſſima antiquitatis caligine proſpero ſucceſſu tandem emerſerint. At ſomniare verius, quam ratiocinari illum dixeris, qui eo perfugio utatur. Si enim ad veterum ſcriptorum fidem enervandam id cuique reponere liceat, nullum jam Hiſtoriæ caput, utut validiſſimis teſtibus firmatum, in tuto erit: nihil non fabularum adſtruere nullo negotio quiſque poterit, & vetuſtate conculcata, cujus honor & reverentia apud cordatos quoſvis tanta perpetuo fuit, recentiorum inanibus commentis ac nugis palmam conferre.

Deinde vero quis ſibi perſuadeat, primum Inſtitutorem, cujus nomen & fama

altas

altas ſemper in hominum animis radices figere ſolet, e Brixinenſium memoria penitus excidiſſe; virique illius notitiam, qui novam religionis rationem, novamque vivendi formam invexerat, quive a cæco, in quo tamdiu verſati fuerant, Gentilitatis errore, Evangelii luce illata, tandem eos liberaverat, adeo conſenuiſſe, ut univerſos propemodum lateret; ex quo præſertim ejusdem nomen ob fortiter toleratum pro Chriſti fide martyrium, adeo illuſtre, adeo celebre erat in tota Eccleſia? Eccleſiarum exempla, quæ ut antiquiorem originem jactarent, primos & veros Antiſtites ſuos, fictis ac ſuppoſititiis recenter additis, nominibusque ingeminatis, adeo miſere confuderunt, ut impræſentiarum diſcerni neutiquam poſſint, obvia quidem ac vulgatiſſima ſunt: at Eccleſiæ exemplum, quæ non adeo multis ab exortu ſæculis primum auctorem ſuum ignoraverit, vix certo aliquo, & ex purioribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ fontibus hauſto monumento, mihi quisquam probaverit; quod ſcilicet ſacrorum Diptychorum uſus, qui antiquitus obtinebat, ingeſta identidem ſolemniter veterum cujusque Eccleſiæ Præſulum mentione, ſingulorumque nominibus ordine recenſitis, illud vetaret; ex quibus Diptychis *Anonymum* Mabillonia-

nianum cum Sabionensium, tum ceterorum Antistitum, quos suis canit versibus; nomina & ordinem didicisse, pro certo atque indubitato habendum.

Verumenimvero quo felici sidere, quibusve auspiciis luci tandem restituta fuit Cassiani simul ac Brixinensium gloria? Quis adeo fortunatus, ut ejusdem Sabionensem Episcopatum diuturnitate temporis ex hominum memoria deletum, vitæ denuo restituerit? Testem nullum *Bartholomæo Tridentino* antiquiorem occurrere, superius animadvertimus. Quæ sit scriptoris illius indoles, quantave auctoritas, itidem adnotatum. Facilitatis, qua in re Historica versatur (illudque ipsum de omnibus ferme ejusdem ævi auctoribus jure affirmaveris) luculentissimum specimen nobis præbet S. Maxentiæ D. Vigilii Tridentini Episcopi matris Vita, quam ab his ille verbis orditur: *Antiquorum sollertia pervigili studio multa memorabilia posteris in scriptis reliquit, quæ modernorum inertia vanitatibus Sæculi dedita, ex incuria amisit. Hinc est, quod multorum memorabilium Sanctorum gesta, aut semiplena, aut ex sola fama, seu etiam ex conjecturis vix possint haberi; & quorum nomina scripta sunt in cælis, eorum acta* (non) *scripta sint in terris, & memoria rarior habeatur*. Ex hac

prælocutione compertum sit, ingenuum hominem ingenue fateri, quod ad S. Maxentiæ res gestas attinet, quas litteris consignandas susceperat, nihil plane ei suppetere. Quid igitur ageret? Receptum conjectandi morem & ipse continuo sequutus est, atque ita infit. *Fuit igitur B. Maxentia temporibus Joviniani & Valentiniani I. Imperatorum præclaro Romanorum genere edita, & sicut nominis sui testatur consonantia, a Maxentio, quem paullo ante prædictos Prætoriani milites Imperatorem fecerant, Maxentia videtur denominata.* Risum teneatis amici? Ergo Maxentius Maximiani Herculii, qui Sirmii natus erat, filius, atque adeo natione Pannonius fuerat, Maxentiæ *præclaro Romanorum genere editæ* nomen dederit? Ergo eumdem Maxentium, qui anno CCCVI. a Prætorianis militibus Imperator fuit salutatus, *paullo ante* Maxentiæ ortum Imperatorem factum fuisse discemus, quando hæc *temporibus Joviniani & Valentiniani I.* quorum postremus ante annum CCCLXIV. Imperator non est renuntiatus, in lucem fuit edita? *Hæc tamen Maxentia* (ita prosequitur *Bartholomæus*) *dicti Maxentii Sacrilegos ritus abhorrens, orthodoxæ fidei cultum ferventissime tenebat, & ingenuo viro ejusdem fidei copulata, religiose Domino*

defer-

deserviebat. At Vigilii *Acta* Cap. I. Num. 2. disertis verbis testantur, S. illius Martyris parentes post suam demum in Tridentinum Episcopum electionem, *sui ipsius prædicatione cum suis germanis conversos* fuisse. Sed satis jam ineptiarum audivimus. Quo duce atque auctore *Bartholomæus* noster Sabionensem S. Cassiani Episcopatum invexerit, ex his facile quisque conjicere potest; nemo enim non videt, receptam vulgo opinionem, nullis idoneis vadibus, nullo probato documento subnixam, sed vel inde enatam, quod Cathedralis Ecclesia S. illi Martyri olim fuerit dicata, vel quacumque alia demum de caussa exortam, ambabus, quod ajunt, ulnis excepisse; quam quidem popularem traditionem pro ut fidenter ab eo recepta fuerat, fidentius postea aliis venditavit. Præter eam nullus profecto divinus nuntius, nulla cælitus immissa lux adfuit, quæ rem oblivione sepultam atque obsoletam erueret, indicaretque.

XIV. Ceterum quæ de S. Cassiani generis nobilitate, Christianæ religionis in Rætiis prædicatione, & Episcopali dignitate a recentioribus commemorantur, seu potius comminiscuntur, cum veris & genuinis S. illius Martyris Actis, ejus vitæ ratione, ac ætate qua floruit, conciliari

nullo modo possunt. Quis enim animo concipiat, nedum certo sibi persuadeat, virum non modo nobilitate, sed etiam doctrina, & sanctitate conspicuum, qualem profecto fuisse oportet Evangelii Præconem, qui pro Christi fide extrema passus, tandem ab Ecclesia sua pulsus fuerat, proindeque amplissimo Confessoris titulo gloriari merito poterat; quis inquam animo concipiat, vilissimo ludimagistri munere, qui per signa & notas pueros scribere docet, vitam sustentare coactum fuisse? Tam igitur alte stertebat sive Mediolanensis, sive Romanus, sive quicumque alius Episcopus, a quo ad Alpes Ræticas missus fuerat, ut tot meritis insignem hominem, qui operam suam naviter alio collocare poterat, in tanta præsertim eorum penuria, qui nostræ religionis fundamenta contra Paganorum impetus jacerent, tanquam pistrino aliquo inclusum, otio torpescere sineret? Apage nugas.

Verum immortale facinus a Cassiano præstitum, si te audiamus, omnes latebat. Fidei, constantiæ, religionis illustria specimina ab eo inter Gentiles pro Christo edita, nulli patebant, ne popularibus quidem suis, immo ne illis, a quibus missus fuerat. Sed quis, quæso, hæc Lethæis undis immerserat? quis omnium oculis velum

lum obduxerat adeo spissum, ut ne Solem quidem cernerent; immo inquam quis virtutis naturam ipsam mutaverat, ut ea qua solet luce, minime coruscaret? Ne quid interim dicam, necesse plane fuisse, non modo quæ Cassianus egerat, sed ne Cassianum quidem ipsum de facie non novisse Forocornelienses, cives nempe concivem suum: aliqui stirpis saltem origo a tam vili & abjecto exercitio hominem subduxisset. Stomacho satis valido fuerit, qui hæc concoquat. Ego certe, ut quod sentio, libere dicam, quid tandem sit otio & litteris abuti, si hujusmodi portenta editis libris Lectoribus suis obtrudere non est, prorsus ignoro. Desiderium Episcopum redarguit *Magnus Gregorius Epistolarum* Lib. IX. Ep. XLVIII. quod *Grammaticam quibusdam exponeret*, hoc est, ut ego quidem interpretor, Poëtis enarrandis incumberet, nam id profecto, *Quintiliano* teste Lib. I. Cap. V. *De Institutione Oratoria*, Grammatici officium est. Quanto acrius in Episcopo reprehendisset Notarii professionem, quæ æque profana est ac Grammatica, multo vero infra illam sita, neque in tanto viro ferenda? Sane V. Cl. *Zegerus Bernardus Van Espen* in *Commentario ad Gratiani Decretum* Part. I. Dist. LXXXVI. in ea sententia est, ut putet

Desiderium a S. *Gregorio* Papa objurgatum fuisse, *Quod divino cantui immisceret hujusmodi profanas Grammaticorum fabulationes*. At se ipsum satis explicat *Gregorius*, & Desiderii facinus ob oculos ponit posterioribus ejusdem Epistolæ verbis: *Unde si post hoc evidenter ea quæ ad nos perlata sunt, falsa esse claruerint, nec vos nugis & sæcularibus litteris studere contigerit, Deo nostro gratias agemus, qui cor vestrum maculari blasphemis nefandorum* (puta Jovis, qui a Poëtis canitur) *laudibus non permiserit*. Ut prorsus demirer, Virum doctissimum id Desiderio huic affinxisse, quod de Catholico Episcopo quolibet futile plane esset ac ridiculum cogitare.

XV. Sed ut ad priora redeamus, quis præterea in Sabionensium Episcoporum serie adeo enormem lacunam admiserit, a Cassiano nempe ad Ingenuinum, hoc est trium Sæculorum, atque eo amplius, si ut tu verosimilius putas (pag. 90.) anno Æræ Vulgaris CCLVII. Cassianus martyrio sit coronatus? Nemo igitur postmodum Ecclesiæ a tam illustri Martyre constitutæ curam suscepit ullam, quo Christiana religio ibidem reflorescerct. Quis credat rem Christianam integro ferme Sæculo ante Constantini Magni tempora, inter alpinas

pinas gentes, hoc est rudes, asperas, ignorantiæ tenebris obvolutas, & idolis deditissimas, adeo feliciter crevisse, ut Ecclesia inibi erigi potuerit, cui Episcopus præficeretur? Sane quænam fuerit harum regionum conditio etiam multo post, ex S. Vigilii nostri Actis manifestum fit; ex iis enim apparet IV. Ecclesiæ Sæculo inclinante in ipsa Tridentina urbe nullam adhuc sacram ædem fuisse: in ipso vero Tridentino agro martyrio a Paganis affectos Sisinnium, Martyrium, & Alexandrum; quod paullo post ipsimet S. Vigilio obtigit. Quid, quod Brixiana Diœcesis multum debet Vigilii nostri laboribus in Evangelio annuntiando, ut eadem Acta testantur?

Argumenta, quæ ex Patrum auctoritate ducis (pag. 43.) quo Rætiis Christianæ fidei lumen mature affulsisse probes, proindeque minime mirum videri debeat, in iis Ecclesiam a Cassiano institutam fuisse; confutationem utique nullam merentur; ludere enim potius in re gravi, quam serio aliquid probare voluisse videris. *Innocentius I.* Pontifex ait: *Manifestum est in omnem Italiam nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores, constituerint Sacerdotes.* Inde tu infers: *In omni igitur Italia jam*

constitutæ erant Ecclesiæ, & Episcopi. Continuo vero subdis: *In Rætia igitur, quæ ad Italiam tum certo pertinuit, pariter constitutas fuisse, vix dubitare licebit*. Egregia porro argumentatio, & quæ quantum in Dialecticis profeceris, una satis ostendat. *De aliquo litterarum Magistro* (utor verbis D. *Augustini* in Lib. *De Prædestinatione Sanctorum* Num. 14.) *qui in civitate solus est, dicimus, omnes iste hic litteras docet*. Si inde quispiam inferret: ergo omnes discunt, nonne rideres? Ride igitur argumentationem tuam, quæ huic quam simillima, immo una eademque est. Quemadmodum enim ex *Augustini* dicto recte quidem infertur, neminem discere nisi ab illo Magistro: perperam vero, omnes discere; ita ex *Innocentii* sententia argui sane potest, nullam in tota Italia Ecclesiam fuisse institutam, nisi ab Episcopis a Romanis Pontificibus initiatis: nequaquam vero per omnia Italiæ loca Ecclesias ab illis excitatas fuisse.

XVI. Hactenus ad explodendum Sabionensem Cassiani Episcopatum disputatis maximum insuper ex eo robur accedit, quod Imolenses, ut liquet ex Anonymo auctore *Chronici Imolensis* apud *Ughellum* Tom. II. *Italiæ Sacræ* in Episcopis Imolensibus, in ea aliquando fuerint senten-

tia,

tia, ut putarint, Caſſianum e Sabiona Germaniæ urbe Forumcornelii conceſſiſſe, ac deinde ad Pontificiam infulam a ſuis evectum: contra vero Brixinenſes exiſtiment e Forocornelii Sabionem miſſum, ibique Epiſcopum effectum. Quæ ſententiarum diſcrepantia ac varietas traditionem utramque de illius Martyris Epiſcopatu prorſus evertit; perſpicue id enim oſtendit veteri eam probatoque teſte caruiſſe, ſolaque vulgi opinione, quæ natura ſua vaga ac mobilis eſt, fuiſſe ſubnixam. Fabulam tu quidem vocas eam *Chronici Imolenſis* traditionem (pag. 19.) at ſi Imolenſes illud idem de tua pronuntiarent, neutiquam video qua ratione os iisdem obſtrueres.

Neque ſpernenda omnino videtur eſſe *Matthiæ Burgklechneri* animadverſio, qua ex rariore cultu S. Caſſiano a Teriolenſibus præſtito, ejusdem Evangelii in hac regione prædicationem, & Eccleſiæ conſtitutionem in dubium revocavit. Quis enim ſibi fingat primo Paſtori, primo Evangelii Præconi, rara adeo templa erecta fuiſſe? Si enim duo, aut tria excipias, nullum omnino in tota qua late patet ampliſſima hac Provincia videre eſt, præter Brixinenſe: quum interim S. Vigilio Tridentino Epiſcopo, qui tamen primus non fuit, ſexdecim omnino ſacræ ædes in Terioli dicatæ

catæ

catæ conſpiciantur, quibus fortaſſe non paucæ aliæ addi poſſent.

Reponis (pag. 34.) hoc ideo factum, *Quia celebre erat ejus martyrium in tota Eccleſia, ejusque geſta Romam miſſa, a Summo Pontifice approbata, atque inſignis per ea parta eſſet victoria;* quaſi vero Caſſiani martyrium minus celebre fuerit in tota Eccleſia. Sed nonne Siſinnii, Martyrii, & Alexandri, qui a tot SS. Patribus ſummis laudibus efferuntur, martyrium æque celebre, immo etiam celebrius erat martyrio Vigilii, & nihilominus quibus templis, ſi unum alterumve excipias, illorum memoria colitur? Contra S. Zeno Veronenſis Epiſcopus, Martyr, ut videtur, minime fuit; & tamen quam late pateat ipſius cultus, quot templa non modo in Veronenſi Diœceſi, ſed per univerſam propemodum Italiam, & extra Italiam pariter, illi excitata fuerint, luculenter oſtendunt ejusdem Operum docti atque eruditi editores *Petrus* & *Hieronymus* fratres *Ballerinii* in *Prolegomenis Zenonianis Diſſertatione* III. Cap. IV. §. I. Scilicet Anaunienſes Clerici, quamquam Martyres, quia tamen non fuerunt primi Evangelii Præcones, non Epiſcopali, immo nec Presbyterali dignitate inſigniti, ſed Vigilii ipſius operarii, ab eo in Anauniam miſſi, illo-

rum

rum gloria ipsi quodammodo cessit. Zeno autem Episcopus, & Vigilius tum Episcopus, tum etiam Maryr, ambo autem, licet non omnino primi Evangelii præcones, quia tamen hic Tridentinam, ille Veronensem urbem universam ad Christianam religionem converterunt, eam nominis, & cultus celebritatem nacti sunt. Porro quod quispiam primus in aliquam regionem Evangelii lumen inferat, Ecclesiam ibi constituat, Episcopali dignitate condecoretur, postremo etiam martyrii palmam adipiscatur, & tamen adeo raro atque exili cultu a suis honoretur, mirum, ne dicam prodigiosum videri merito debet.

Quæ subdis Sanctorum celeberrimorum exempla, qui tamen ampliori cultu non gaudent, ut laudatorum Martyrum Anauniensium, S. Prosdocimi, S. Lucii, S. Romedii, S. Lucani Sabionensis, & B. Hartmanni Brixinensis Episcopi; minus apposita sunt, neque enim singuli adeo celebres fuere, ut tu nimis asseveranter affirmas, quum illorum aliquis obscurissimus etiam sit: nullus autem iis prærogativis insignitur, quibus Cassianus, si quidem præter martyrium, de quo nemo disputat, etiam Episcopi, & primi Evangelii Præconis munere gloriari posset.

Neque vero sola cultus raritas est, quæ Cas-

Cassiani Episcopatum & prædicationem suspectam faciant, sed illud insuper animadversione dignum, cultum eidem præstitum non adeo antiquum esse, si quidem, ut tu (pag. 28. 76.) conjicis, ipsa Sabionensi Ecclesia, Theodone II. Duce Boiis imperante, S. Cassiano fuerit dicata; Theodo quippe ille, ut *Marco Hansizio* Tom. II. *Germaniæ Sacræ* pag. 59. Num. 52. adnotatum, post annum demum DCCXVIII. diem obiit. Primo igitur Sabionensium Pastori, primo Episcopo, primo Ecclesiæ conditori tam sero a suis publicus cultus exhibitus, tam sero sacra ædes erecta? Tanti igitur beneficii parum adeo immemorem dicemus Sabionensem Ecclesiam, ut insignem hunc suum Patronum, tot nominibus colendum, ingratissime tamdiu neglexerit?

Quod addis de S. Vigilii Tridentini Gestis, ea scilicet Summi Pontificis auctoritate roborata, atque inde insignem partam fuisse victoriam, ex quo nominis illius celebritatem repetendam esse contendis; moneo totum id sublestæ fidei esse, utpote erutum ex auctario, quod S. illius Episcopi Actis additum fuit; cui panno temere ab interpolatoribus assuto, tam longe abest, ut Vigilii gloria accepta referri debeat; quin potius veris & genuinis S. ejusdem

Mar-

Martyris Actis non parum eum officere exploratissimum sit. Audi V. Cl. quem merito maximi facis, *Scipionem Maffejum Veronæ Illustratæ* Part. I. Lib. VIII. pag. 213. *Negli Atti di S. Vigilio, benchè impastricciati di giunte, e però di poca autorità, si legge &c.* Quod tamen ante ipsum monuerat *Daniel Papebrochius*, cujus in suo ad ea Acta *Commentario Prævio* hoc de iis est judicium: *Itaque his omissis, sola prima damus, si non omnino primigenia, tamen (excipiendo quædam sub finem addita, vel mutata, & priores fortassis lineas) primigeniis proxima.* Vide ejusdem *Papebrochii* in ea *Adnotationes*.

XVII. Dixi superius Brixinensium monumenta, quibus Sabionensis Ecclesiæ historia continetur, non adeo sincera & antiquitati consona videri; quin, si ad examen revocentur, in contrariam potius sententiam, saltem quod ad partem ipsorum aliquam pertinet, pedibus manibusque eundum sit. Id ne gratis a me assertum fuisse putes, simulque ne cuiquam mirum videatur, Brixinenses Patriæ suæ decus uberius amplificare quam veritas fert; juvat nunc Ingenuini, quod alterum est Ecclesiæ Sabionensis lumen, Acta paullisper expendere, quo scilicet judicium ferre liceat, num & huic forte plus tribuatur

quam

quam veterum auctoritas, & ratio ipsa postulat.

Prima, quæ hujus Episcopi occurrat mentio, est in supplici Libello a Schismaticis Aquilejæ Episcopis Mauritio Imperatori oblato anno Æræ Vulgaris DXCI. ubi inter Episcoporum subscriptiones, & quidem primo loco, legere est: *Ingenuinus Episcopus S. Ecclesiæ Secundæ Rætiæ*. Ejusdem viri meminit *Paullus Diaconus* Lib. III. Cap. XXVII. *de Gestis Langobardorum* recensens nomina Schismaticorum Præsulum, qui Marianènsi Conciliabulo interfuerunt anno DXC. vel DLXXXVII. ut *Bernardo de Rubeis* visum est; quod repetit *Diaconus* in *Appendice ad Eutropium* Lib. XVIII. Postremo idem Auctor Lib. III. Cap. XXXII. *De Gestis Langobardorum* Ingenuini facinus refert, qui una cum Agnello Tridentino Episcopo magnam pecuniæ vim contulit, ut castri cujusdam cives, quos Franci Mauritio imperante captivos abduxerant, in libertatem assereret, redimeretque. Nihil præterea de hujus Episcopi gestis ad nos transmisit antiquitas. Num a Schismate tandem recesserit: ubi, quando, & quo mortis genere obierit, silent veteres scriptores ad unum omnes; adeo ut si ex iis, quæ memoriæ prodita sunt, de eo judicium ferendum sit,

ſit, in ſchismate mortuum prout in ſchismate vixerat, ſtatuendum plane videatur.

At obſtat cultus, quem in Brixinenſi Eccleſia jamdiu obtinuit, & *Martyrologii Romani* auctoritas, in quo una cum Albuino Brixinenſi Epiſcopo Sanctorum faſtis adſcribitur. Ingerit igitur ſeſe hic nobis V. Cl. *Joannes Bollandus*, qui ad Diem V. Februarii ejusdem res geſtas expendit, aitque fieri omnino potuiſſe, ut veritati tandem manus dederit, *Maxime poſtquam Theodelinda Regina, primum in partes deſenſorum Trium Capitulorum perducta, deinde ſtudio S. Gregorii ad communionem Catholicorum erat revocata; cum eſſet ceteroqui vir bonus, & miſericordiæ operibus deditus.*

At quid commune Theodelindæ Langobardorum Reginæ cum Ingenuino fuit, cujus Diœceſis Langobardorum imperio minime parebat? Liceat id conjectare de Venetiæ Epiſcopis, qui ſubjectas Theodelindæ Diœceſes regebant, non de iis, qui ab illius dominio diſſociabantur. Immo ne Venetorum quidem Præſulum aliquem S. Gregorio vivente Apoſtolicæ Sedi caput ſubmiſiſſe conſtat. *Sed unanimes elegiſſe Candidianum Provinciales Epiſcopos omnes* (ait Monumentorum Eccleſiæ Aquilejenſis doctiſſimus illuſtrator *Bernardus Maria de*

Ru-

Rubeis Cap. XXXIII. Num. 2.) *difficile dictu, cum illorum neminem, qui degebant in Langobardorum ditione, a Schismate hoc tempore* (anno DCVI. altero post D. Gregorii mortem anno) *revocatum sciamus. Quatuor ut summum Episcopos Istriæ, Schismate deposito, ad unitatem Ecclesiæ venisse, colligimus ex Epistolis Gregorii Magni, Petrum, Providentium, Firminum, & illum qui propria sede relicta, in Siciliæ partibus degebat*. Quod si Episcopi, qui Principi parebant ab errore jam revocato, & qui eos ad Ecclesiæ unitatem compulisse, aut saltem adhortasse verosimillimum est, errorem tamen non deposuerunt; quid quæso sperandum de iis, qui Principe non reclamante, in sua sententia consistere sinebantur?

Verum enimvero si cultus memorati nulla alia, eaque longe verosimilior, afferri posset origo, integrum profecto cuique esset hujusmodi conjecturis, quamquam nullius pane roboris, aliquid tamen dare. Nunc quum aliud quoque in caussa esse potuerit, cur Ingenuinus tanquam Sanctus, licet nullo suo merito, & habitus olim sit, & habeatur etiamnum, *Bollandi* sententiæ prorsus valedicendum esse arbitror. Id ut planum fiat, altius aliquanto (breviter tamen) res est repetenda.

XVIII.

XVIII. Scitum eſt apud Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſos, Vigilium Romanum Pontificem, qui anno DXL. electus fuit, emiſſo ab Imperatore Juſtiniano contra *Tria Capitula* edicto vehementer reſtitiſſe, quod, illis damnatis, auctoritatem Concilii Calchedonenſis labefactari judicaret. Exinde re melius diſcuſſa, quum cognoviſſet ſalva Concilii illius reverentia *Tria Capitula* damnari poſſe, damnavit illa, ſimulque ad Mennam Conſtantinopolitanum Præſulem *Judicatum* miſit adjecta hac clauſula: *Salva in omnibus reverentia Synodi Calchedonenſis*. Ea res totum propemodum Occidentem in eum, quaſi Synodi illius violatorem concitavit, adeo ut Africani Antiſtites a Catholica communione eumdem excluderent. Pontifex ut turbas has compeſceret, *Judicatum* ſuum ſibi reſtitui curavit, & quæſtionem omnem de *Tribus Capitulis* uſque ad Concilium ſub anathematis pœna interdixit. Interea Juſtinianus, qui Eccleſiæ negotiis libentiſſime ſeſe immiſcebat, novum contra *Tria Capitula* edictum emiſit, & Conſtantinopoli anno DLIII. Synodum indixit Univerſalem, in qua *Tria Capitula*, *id eſt Theodorus impius Mopſveſtenus cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impie Theodoretus conſcripſit, & impia epiſtola, quæ dicitur Ibæ, & de-*

& defensores eorum damnati sunt. Huic Synodo (cujus celebrationi Vigilius ipse alioqui consenserat) non modo interesse noluit Pontifex, sed etiam edito *Constituto*, negavit *Tria Capitula* damnari posse, Conciliique, a quo damnata fuerant, decreta diu reprobavit; donec tandem studio veritatis mutata sententia, *Constitutum* pro *Tribus Capitulis* abrogavit, & Synodum confirmavit auctoritate sua, quæ Synodus Concilium Œcumenicum V. Constantinopolitanum vero II. appellatur.

His peractis Catholici per Orbem Episcopi quamplures, quibus Vigilii acta non probabantur, & quæ a prudentia maturoque consilio profecta fuerant, inconstantiæ & levitati tribuebant, non modo summo Ecclesiæ Magistro ac moderatori obedientiam præstare detrectarunt, sed caput etiam contra eumdem attollere non sunt veriti, & *Tria Capitula* acerrime defendere, eo obtentu, quod citra Calchedonensis Synodi injuriam damnari illa haud possent. Horum omnium pervicacissimi fuere Aquilejensis Ecclesiæ Suffraganei, hoc est Rætiæ, Norici, Istriæ, & Venetiæ Episcopi, qui schismate facto, diu multumque cum suo Metropolita a Romanæ Ecclesiæ communione sejuncti, illud foverunt. Unitatem primus dissolvit Macedonius Aquilejensis

Epis-

Episcopus, cui Paullinus, & Probinus schismatici ordine successere. Probinum excepit Elias, non modo schismaticus ipse, verum etiam schismaticorum dux obfirmatissimus, quem Pelagius II. Summus Pontifex, quum paterna lenitate nihil proficere animadverteret, vi compellere decrevit, ut una cum refractariis Episcopis ad officium rediret, Smaragdi Ravennæ Exarchi opera ad hoc usus, qui terrore ac minis eos insequi non destitit. Elia defuncto, Aquilejensis Ecclesiæ regimen suscepit Severus, qui decessorum vestigiis insistens, unitate & ipse discissa, Matri Ecclesiæ obtemperare abnuebat. Smaragdus igitur, quum Istriæ urbes inviseret, ad Gradum classem appulit, Severum in Ecclesia cepit, & injuriis affectum, Ravennam cum tribus aliis Episcopis perduxit, ubi coram Joanne Archiepiscopo Ravennate, eum *Tria Capitula* damnare coegit. At Severus paullo post ad suos reversus, non modo in pristinum schisma est relapsus, revocata in Marianensi Conventiculo a schismaticis coacto, quam cum Ravennate Episcopo inierat, communione, verum etiam tres ad Mauritium Imperatorem contra S. Gregorium Magnum Summum Pontificem Libellos misit, ac demum in schismate obiit; quod quidem schisma multos adhuc post

annos perduravit, donec modo his, modo illis Suffraganeis Aquilejæ Episcopis ad Romanam Ecclesiam accedentibus, tandem & ipse Metropolita agnito diuturno decessorum errore V. Œcumenicam Synodum recepit, & schismate ejurato ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem rediit.

XIX. Ex hactenus dictis liquet, antequam eadem V. Synodus *Tria Capitula* damnasset, & Vigilius Summus Pontifex calculo suo damnationem illa ratam fecisset, *Tria Capitula defendere*, idem omnino fuisse ac cum Ecclesia Catholica Romanoque Pontifice sentire: verum post latam contra *Tria Capitula* cum ab Œcumenica Synodo, tum a Summo Pontifice sententiam, eadem condemnare nolle, temerarium quidem fuit: at a condemnantibus communione divelli, etiam schismaticum.

Porro in historia V. Synodi, ac Schismatis Aquilejensis (quæ revera variis dissidiis & vicissitudinibus implicatur) penitius cognoscenda, mirum est quot illustres magnoque nomine viri cæspitaverint. *Andreas Dandulus* doctissimus Venetorum Dux in *Chronico Veneto*, quod *Rerum Italicarum* Tom. XII. V. Cl. *Ludovicus Antonius Muratorius* edidit, ita scribit: *Hoc tempore Schisma maximum in Venetia, & Liguria,*

ria, *&* *Istria exortum est*. *Quia Macedonius Aquilejensis Episcopus*, *&* *Honoratus Mediolanensis*, *&* *Joannes Ravennas Episcopi cum suis Suffraganeis Tria Capitula Calchedonensis Synodi*, *quæ in Concilio nuper Constantinopoli peracto comprobata fuerant*, *confiteri*, *&* *recipere nolebant*. At V. Synodus proscripsit, non comprobavit *Tria Capitula* Concilii Calchedonensis; neque Schismaticorum crimen in eo positum erat, quod illa *confiteri*, *&* *recipere nollent*, sed quod spreta Romanæ Sedis auctoritate, damnare recusarent. Idem Auctor Eliam Schismaticorum Aquilejensium pessimum, *Venerabilem Episcopum* vocat.

V. Cl. *Henricus Norisius* Cardinalis Cap. IX. §. IV. *Dissertationis Historicæ de Synodo V.* testis est, Urini in Patriarchali Aula hoc elogium Severo Schismatico inscriptum legi: *Severus.... Ravennam injuriose ductus coactusque Manichæis assentire*, *a Gregorio I. Papa ad catholicam veritatem redire revocatus*, *quam in Episcoporum provinciali Synodo publice professus*, *sancte vixit*, *obiitque*. Verum quum Ravennam a Smaragdo injuriose ductus fuit Severus, non Manichæis, sed Catholicæ Ecclesiæ assentiri fuit coactus, scilicet *Tria Capitula* damnando, quod ipse cum collegis Schismaticis renuebat; neque in Provinciali

Synodo, hoc est Marianensi, Catholicâm veritatem est professus, sed initam cum Joanne Ravennate Catholico Episcopo communionem revocare a Schismaticis compulsus fuit: multo vero minus *Sancte vixit obiitque*, qui Schismaticorum signifer fuit; qui non modo ipse ab Ecclesiæ unione abhorruit, sed & Firminum Episcopum Tergestinum præmiis ad Schisma pellexit, & recusantem diris modis afflixit; qui contra S. Gregorium Magnum semper stetit, ejusque pia vota datis ad Mauritium Imperatorem litteris temere elusit; uno verbo qui pertinax in quo vixerat Schismate, tandem mortuus est. Quare apposite jam laudatus Cl. Vir hoc epiphonemate narrationem claudit: *Ita & muri suas fabulas cantant*.

Nihilo tamen secius eamdem fabulam recinunt *Onuphrius Panvinius* Lib. V. *Antiquitatum Veronensium* Cap. IX. *Joannes Candidus Antiq. Aquilejens.* Lib. III. *Wiguleus Hundius* in *Metropoli Salisburgensi*, *Hieronymus Rubeus* Lib. IV. *Histor. Ravennat.* eosque sequuti recentiores *Palladius* Lib. I. *Histor. Forojuliens.* & *Ughellus* Tom. V. *Italiæ Sacræ* in tabulis Patriarcharum Aquilejensium, & alibi sæpius, qui scribunt Severum Ravennæ Joanne Episcopo cogente Manichæorum hæresi nomen dedisse; atque ita amplissimum Antistitem, cui

S. *Gre-*

S. *Gregorius Magnus* libros *De cura Pastorali* dicavit, ac tot litteras dedit, cujusque morti se vehementer indoluisse testatur Lib. 4. Epist. XXIII. turpissimo crimine infamant.

In eadem Utinensi Aula de Elia Aquilejensi Episcopo Schismatico idem propemodum fingi *Norisius* auctor est; legitur enim ibidem in Manichæorum illum hæresim dilapsum, Pelagii Papæ litteris revocatum fuisse; quæ fabula ad rerum Forojuliènsium Scriptores, laudatum *Ughellum*, aliosque deinde promanavit.

Sed in historia Schismatis Aquilejensis enarranda nemo turpius alucinatus est *Paullo Diacono* Langobardorum Historiographo insigni, qui eam adeo pervertit, ut Schismatis illius indolem ac rationem penitus ignorasse videatur. Primo enim de Pelagio II. Romano Pontifice Lib. III. Cap. XX. *De Gestis Langobardorum* ait: *Hic Pelagius Eliæ Aquilejensi Episcopo nolenti Tria Capitula Calchedonensis Synodi suscipere, epistolam satis utilem misit, quam B. Gregorius, quum esset adhuc Diaconus, conscripsit*. Immo vero *Tria Capitula* rejicere ac damnare nolebat Elias, & quod deterius est, se a recipientibus & damnantibus communione separaverat, quod summopere Pelagio displicebat, atque ob id memoratam eidem Epistolam scripsit. Idem *Paul-*

lus Lib. III. Cap. XXVII. auctor est, Severum Aquilejensem Episcopum a Smaragdo compulsum fuisse *Communicare Joanni Ravennati Episcopo Trium Capitulorum damnatori, qui tempore Pape Vigilii vel Pelagii a Romanæ Ecclesiæ desciverat societate*, & paucis interjectis ait: *Smaragdum Patricium a Dæmonio non injuste correptum, Constantinopolim remeasse*. Qua ratione Catholicum Episcopum, & Catholicæ fidei vindicem, Schismaticum facit; Smaragdum vero Exarchum Schismaticorum hostem acerrimum, qui Apostolicæ Sedi strenuam semper navaverat operam, *non injuste* a Dæmone arreptum fuisse tradit. Sed lineas omnes prætergreditur *Diaconus*, quum laudato loco hæc continuo addit: *Post hæc facta est Synodus decem Episcoporum [in Mariano, ubi receperunt Severum Patriarcham Aquilejensem, dantem libellum erroris sui, quia Trium Capitulorum damnatoribus communicaverat Ravennæ. Nomina vero Episcoporum, qui se ab hoc Schismate cohibuerunt, hæc sunt &c.* Scilicet errorem vocat ad Matris Ecclesiæ gremium rediisse, & ab errore fuisse revocatum: a Schismate autem puros, & vere Catholicos facit decem illos Episcopos, qui ut Schisma foverent, atque ad id Severum compellerent, Marianense Conciliabulum convoca-

ve-

verant. Præterea *Paullus* Lib. II. Cap. X. Paullinum Aquilejensem Episcopum *Beati* titulo insignit, qui Paullinus infandi Schismatis princeps fuit, Synodum Provincialem coegerat, ut de V. Universali Synodo, spreta Romanæ Sedis auctoritate, judicium ferret, & a Pelagio Summo Pontifice dictus est *in schismate maledictus*. *Fratres Ballerinii* in Dissertatione *De Patriarchatus Aquilejensis origine* Tom. 4. Operum Cardinalis *Norisii* pag. 1066. *Paullo Diacono* insuper vitio vertunt, quod *Candidianum Episcopum Gradensem Catholicum, ex Schismaticorum locutione Schismaticum vocaverit: & Severum, quum Ravennæ Catholicis adhæsit, Manichæis accensuerit*. Quæ duo tamen nullibi apud eum Auctorem expresse legas.

Henrico Norisio Joannem etiam *Diaconum*, qui S. Gregorii Magni res gestas litteris consignavit, perperam Aquilejensis Schismatis historiam repræsentasse visum est, quum Lib. III. Cap. I. de S. illo Pontifice scripsit: *Jam Ligures, Venetos, Hiberos, aliosque a schismate sub Libello confessos Calchedonensem Synodum venerari compellens ad unitatem S. Ecclesiæ revocarat. Errat* (subdit *Norisius* Cap. IX. §. V. laudatæ *Dissertationis*) *dum asserit schismaticos Gregorio compellente Synodum Calche-*

do-

donensem veneratos esse, *quum illi ob prætensam venerationem erga Synodum Calchedonensem Gregorio*, *uti diximus*, *contradicerent*. Quod idem repetit *Bernardus Maria de Rubeis Monumentorum Ecclesiæ Aquilejensis* Cap. XXXII. Num. 2. At quod pace tantorum virorum dictum sit, palam est eos mala interpunctione deceptos, sensum verborum *Joannis Diaconi* minime assequutos fuisse. Non enim ait *Joannes* a Gregorio Calchedonensem Synodum venerari compulsos, atque a Schismate ad unitatem Ecclesiæ revocatos fuisse Episcopos *sub libello confessos*, ex quibus verbis nullus pæne eruitur sensus: sed eosdem *sub libello confessos Calchedonensem Synodum venerari*, hoc est emissa Professione, in qua Synodum illam se venerari confitebantur, nulla interim V. Synodi (ne scilicet pax turbaretur, ut ex ipsius S. *Gregorii* Epist. XXXIX. Lib. IV. liquet) mentione injecta, a Schismate, Gregorio compellente, ad unitatem S. Ecclesiæ revocatos fuisse.

XX. Sed ut ad *Paullum Diaconum* revertamur, dici vix potest, quot, quantosque viros celeberrimi illius Scriptoris auctoritas in errorem adduxerit, qui rem minime perpendentes, pro ut illam ab eo acceperant, fideliter retulerunt. Eumdem errorem errarunt *Historiæ Miscellæ* scri-

ptor,

ptor, Auctor *Chronici Patriarcharum Aquilejensium*, quod post Cl. *Muratorium* publici juris fecit laudatus *Bernardus de Rubeis* in *Appendice* ad *Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis*; *Joannes Diaconus Veronensis* XIV. Sæculi Scriptor in *Historiis Imperialibus* pag. 160. col. 4. quod opus nondum typis editum Veronæ in Maffejana Bibliotheca asservatur; *Bartholomæus Tridentinus*, *Petrus Calo* in Vita Ingenuini, quam ex *Bartholomæo* sumit; *Petrus de Natalibus*, *Marcus Antonius Sabellicus*, *Leander Albertus*, *Philippus Ferrarius*, & quod magis mireris, *Carolus Sigonius*, inter principes XVI. Sæculi litteratos viros merito connumerandus; immo recte monet laudatus *Norisius*, ex eo *Paulli Diaconi* lapsu sinistram illam de Manichæa Eliæ & Severi hæresi opinionem effluxisse, quæ tot deinde illustribus scriptoribus fucum fecit. Idem sentiendum non modo de *Andreæ Danduli*, sed de innumerorum propemodum auctorum alucinationibus, quas hic recensere nimis longum foret. Illud nunc monuisse sufficiat, Patres in Synodo Mantuana, cujus superius mentio facta est, congregatos, ad eumdem scopulum allisisse, veramque Schismatis Aquilejensis historiam prorsus ignorasse; in qua quidem Synodo præter Æmiliæ, Liguriæ, & Ve-

netiæ

netiæ Episcopos admodum XX. interfuerunt: *Vir venerabilis & Sanctissimus Benedictus Episcopus, & Leo reverendissimus Diaconus Bibliothecarius; Legati videlicet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, habentes locum Beatissimi Papæ* Eugenii; *Sychardus Palatinus Presbyter, & vir spectabilis Theoto, a præfatis Augustis directi; Petronas quoque Ravennatis reverendissimus Archiepiscopus, atque Angelpertus Sanctissimus Mediolanensis Archiepiscopus.*

Porro si *Paullus Diaconus* vir sua ætate nemini secundus, *propter scientiam litterarum* (ut *Sigebertus Gemblacensis* [Cap. LXXX. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* testis est) *a Carolo Magno Imperatore adscitus*, & quod caput est, ipsius Ecclesiæ Aquilejensis Diaconus: si *Landulphus Sagax*, seu quicumque alius est *Historiæ Miscellæ* auctor: si *Andreas Dandulus* Venetorum Historiographus præclarissimus, immo Venetæ Historiæ pater: si *Bartholomæus Tridentinus*, quem tu *Patriæ nostræ decus* appellas: si innumeri illo etiam celebriores ac nobiliores docti viri, qui Ecclesiæ res persequuti sunt; si denique tot non modo sanctitate, verum etiam doctrina conspicui Præsules, præcipue Rampertus Brixiensis Episcopus scriptis editis clarus, in eumdem, in quem *Paullus Diaconus* impegit

erro-

errorem, una omnes incidere, ut tanquam Catholicæ veritatis propugnatores suspicerent, laudarentque Schismaticos Aquilejæ Episcopos, quorum inter primos Ingenuinus noster fuit; cui mirum videri debeat, unam Brixinensem Ecclesiam eodem errore involutam fuisse, atque adeo hunc suum Præsulem ab omnibus venerationi habitum, religiose coluisse? Mihi certe mirandum potius videretur, si communi medii ævi errori & ipsa libentissime non subscripsisset. Ex hoc igitur fonte tum excellentem de Ingenuini Sanctitate opinionem, tum cultum ipsi a Brixinensibus jamdiu præstitum, originem traxisse suspicari par est, quæ omnia *Martyrologii Romani* reformatoribus occasionem deinde præbuerunt Sanctis illum adnumerandi.

XXI. Id ut magis magisque firmetur fiatque evidentius, quibus tabulis Ingenuinus in *Romanum Martyrologium* sub *Genuini* nomine tandem illatus sit, nunc breviter exploremus. *Aliqui codices* (verba sunt Cardinalis *Baronii* in suis ad id *Adnotationibus* Nonis Februarii) *pro Genuino legunt Ingenuinum, cujus meminit Paullus Diaconus de Gestis Langobardorum Lib. III. Cap. XII. Scripsit ejus vitam Bartholomæus Tridentinus. De Genuino & Albino simul Petrus in Catalogo Lib. III. Cap. LXXXV.*

Fuit

Fuit prior Episcopus Sabionensis, qui quum temporibus Langobardorum in exsilium pulsus esset, ibi mortuus est; corpus autem ejus Brixinonem translatum esse, associatumque S. Albino Episcopo Brixionensi, idem Auctor testatur.

Ex his liquido constat, *Bartholomæum Tridentinum*, & *Petrum de Natalibus* sanctitatis Ingenuini testes esse antiquiores; *Martyrologium* enim S. *Hieronymo* tributum, quod omnium vetustissimum judicatur; *Beda*, *Florus*, *Rabanus*, *Ado*, *Usuardus*, *Notkerus*, aliique Martyrologi de illius sanctimonia nullam nobis fidem faciunt. *Bartholomæi* lucubrationem *Baronium* minime legisse videtur, eamque dumtaxat ex fide *Petri de Natalibus* laudasse, qui *Petrus* suam *De S. Ingenuino Episcopo* narrationem his verbis claudit: *Hæc Frater Bartholomæus*; quare eam, ut in rebus ignotis fere fit, non ipse tantum Annalium Ecclesiasticorum conditor, sed alii quoque pluris fortasse fecerunt, quam ratio ipsa postulat. Præstat igitur hic fontem propius inspicere, quidve de iisdem Sanctis *Bartholomæus* memoriæ prodiderit, ante omnia in medium afferre, quum præcipue non adeo prolixa narratio sit, ut tædium parere alicui possit. Ita igitur ille *De SS. Ingenuino, & Albuino* ad fidem Codicis

dicis Bibiiothecæ Barberinæ Num. 2061. in 4. & ex quo ipse hæc propria manu ante aliquot annos Romæ transcripsi: *Ingenuinus, quem S. Paullinus in Gestis Lombardorum, quæ scripsit, clarissimum asserit, Episcopus Sabionensis fuit. Hunc S. Cassianus præcesserat, qui Imolæ immolatus, martyrium complevit. Sabiona vero fuit olim Episcopalis civitas, & Aquilejensi Metropoli subjecta: nunc autem sedes translata est Brixinam, & subest Salisburgensi. Hujus Ingenuini temporibus Lombardi Italiam occupaverant, & duodecimus eorum Rex Authari regnabat. Severus Eliæ in Patriarchatu Aquilejensi successerat, quem Smaragdus Patricius coegit cum quibusdam aliis communicare Joanni hæretico Episcopo Ravennati, qui Romanam Ecclesiam contemnebat. Sed S. Ingenuinus cum Beatis Episcopis Agnello Tridentino, Petro Altino, Juniore Veronensi, Hosentio Vicentino, Rustico Tarvisino, Fontejo Feltrino, Agnello de Achilo, Laurentio Belunensi, Maxentio Juliensi, Adriano Polensi, huic schismati non consenserunt. His diebus Franci multa castra Tridentinorum fide data everterunt, & castrenses abduxerunt. Ferrugo vero fuit castrum forte, ubi sexcenti viri confugerant, pro quibus Episcopi dicti, Ingenuinus Sabionensis, & Agnellus Tridentinus intercesserunt oppressos.*

ſos. Poſtmodum S. Ingenuinus in pace quievit, cui S. Conſtantius ſucceſſit. Poſt multos annos Brixiam (lege *Brixinam*) *transfertur, & S. Albuinus, ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus miraculis clarus Non. Feb. die qua migraverat, ei aſſociatur.*

Jam ex hac narratione palam fit, quidquid de Ingenuino *Bartholomæus* noſter tradit, id ex Langobardorum Hiſtoriographo hauſtum eſſe, atque adeo rem totam ad *Paulli Diaconi* lacunas recidere. In eo fallitur, quod a *Diacono* Ingenuinum *Clariſſimum* vocari ait, mendoſo enim Codice deceptus Lib. III. Cap. XXVII. *De Geſtis Langobardorum* legiſſe videtur: *Petrus de Altino, clariſſimus Ingenuinus de Sabione &c.* Sed eo loco nomen Epiſcopi proprium, male apponi ut epithetum, aut Petro Altinati, ut plures editiones habent, aut Ingenuino, ut aliqui Codices præferunt, legendum autem eſſe: *Petrus de Albino, Clariſſimus de Concordia, Ingenuinus de Sabione &c.* jam pridem a doctis viris adnotatum fuit. Hinc licet intelligere, cur *Joannes Diaconus Veronenſis* in opere proxime laudato *Viri Clariſſimi* titulo Ingenuinum & ipſe exornet, Auctor autem *Chronici Patriarcharum Aquilejenſium* vero nomine rejecto, eumdem *Clariſſimum de Sabione* vocet.

Pe-

Petrus de Natalibus, qui *Bartholomæum* tranſcribit, nihil novi affert, niſi quod ait *Ingenuinum ſecundum Epiſcopum Sabionenſem fuiſſe, ut ſcribit Paullus in Geſtis Langobardorum*; quod ſplendidum mendacium eſt, id enim non a *Paullo Diacono*, ſed a *Bartholomæo Tridentino* traditum, cujus verba cum *Paulli* verbis perperam confudit *Petrus de Natalibus*: deinde Epiſcopos, quos *Bartholomæus* Schismati non conſenſiſſe aſſerit, & *Beatos* appellat, ipſe *Sanctos* vocat, & multas injurias perpeſſos fuiſſe addit, Ingenuinum vero exſilio inſuper multatum. *Propter quod omnes prænominati Sancti multas injurias perpeſſi ſunt. Sanctus vero Ingenuinus actus in exſilium, in pace quievit*. Verumenimvero quum perſpicue non indicet num ab Authari, an a Smaragdo in exſilium miſſus ſit, occaſionem aliis dedit id clarius explicandi. Igitur in *Officiis Propriis Sanctorum* Eccleſiæ Brixinenſis ſcriptum legitur, *ſub Autharit Flavio Langobardorum Rege Italiam devaſtante* id contigiſſe, quod confirmat *Matthæus Raderus Bavariæ Sanctæ* Vol. III. in Vita Ingenuini.

Baronius qui Schismatis Aquilejenſis hiſtoriam rectius tenebat, probeque noverat Autharim anno DXC. die V. menſis Septembris extinctum fuiſſe, atque adeo In-

genuinum (qui, ut ſæpius dictum, anno DXCI. ſupplici ad Mauritium Libello ſubſcripſit) in exſilium ab eodem miſſum merito dici non poſſe; tum cauſſam exſilii, tum auctorem illius amovit, & in alia omnia, licet ſine teſte, abiit, ad annum enim DCXXXVIII. Num. XII. ita ſcribit: *Hoc eodem anno Ariovaldus Rex Langobardorum, idemque Arianus (de quo plura ſuperius) ubi regnaſſet annos duodecim, moritur; inque locum ejus ſubrogatus eſt Rotharis itidem Arianus..... Porro etſi ſub Ariano Rege non reperitur indicta in Catholicos perſecutio: accidebat tamen interdum, ut ſi qui Epiſcopi æſtuantes zelo Catholicæ fidei urgerent Arianos, iidem ab eodem Rege exſilio multarentur, ut contigit S. Genuino ſive Ingenuino Epiſcopo Sabionenſi, qui a Rege Langobardorum in exſilium pulſus apud Brixinonem in Germaniam, ibidem diem obiit, junctusque ſepultura eſt S. Albino ejusdem civitatis Epiſcopo æque Sancto, factumque eſt, ut amborum una eademque dies natalis in Eccleſia celebretur Nonis Februarii*. Jam exſilii Ingenuini cauſſa non eſt, quod Schismati conſentire noluerit, ut *Petrus de Natalibus* atteſtatus fuerat, ſed Ariana Langobardorum Regum hæreſis: nec ejusdem exſilii fulminator eſt Autharis, ſed Rotharis, qui apud Brixino-

nonem eum misit. At qua ratione in exsilium eo mitti potuit Ingenuinus, si Brixina ea ætate nondum condita erat? Quod si per *Brixinonem* Sabionam intellexit *Baronius*, quis unquam audivit Episcopum quempiam in exsilium mitti quum ad Ecclesiam suam destinatur?

Sed Annalium Ecclesiasticorum Censori *Antonio Pagio* neque Autharis, neque Rotharis placuit; quare Arioaldum Rotharis decessorem exsilii illius auctorem fecit. Quum enim Acta Concilii Gradensis, quod anno DLXXIX. celebratum dicitur, & cui Ingenuinus subscripsit, admitteret *Pagius*, Rotharis autem juxta ejusdem calculos anno demum DCXXX. Langobardorum regnum susceperit, minus verosimile ei visum fuit, Ingenuinum unum supra quinquaginta ut minimum annos in Episcopatu transegisse. Scilicet in re obscura, & nullo certo documento, nullo probato auctore roborata, dum unusquisque conjecturis suis indulget, unus unam, alius aliam facti speciem nobis præbet. Addiderim ego, neque Autharim, neque Rotharim, neque demum Arioaldum exsilii illius auctorem esse potuisse, quum Langobardorum imperium Sabionam usque minime funderetur; proindeque factum illud tanquam commentitium & pro scripto-

rum arbitrio confictum, explodendum omnino esse.

Porro Ingenuinus jam Sanctus effectus, miraculis carere non debuit, quorum tamen veterum scriptorum nullus, quod quidem sciam, meminit; *Bartholomæus* enim, & *Petrus de Natalibus* Albuinum quidem *miraculis clarum* vocant, sed de Ingenuino prorsus silent. At ecce præsto adest *Hundius*, qui in *Metropoli Salisburgensi* miracula etiam illius commemorat, ait enim Episcopatu Sabionensi Brixinam translato, una & ossa ejus translata fuisse, *ubi in hodiernum diem miraculis clarus quiescit*. Quod tamen ab antiquiore quopiam scriptore sumtum fuisse infitiari nolim, quum illud idem legere sit in Martyrologio, quod *secundum morem Romanæ Curiæ* emendavit *Bellinus* Patavinus, ediditque Venetiis anno MCDXCVIII.

Nunc eos qui sapiunt, quique veritatem unice diligunt appello, rogoque ut attento animo secum ipsi reputent, quam exigua, quam simplicia, quam uniformia sint, quæ de Ingenuino antiquitas protulit: contra vero quam multa, quam varia, quam inter se pugnantia, quæ a recentioribus allata sunt, ut quanto propius ad Ingenuini ipsius ætatem accedimus, tanto pauciora de illo nobis innotescant:

quan-

quanto vero longius ab ea recedimus, tanto plura & majora in vulgus ſpargantur; ut tandem tuto decerni poſſit ex quo fonte promanarint, atque adeo pateat quam vere a Poëtarum Latinorum principe ſcriptum ſit:

Fama, malum quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresque adquirit eundo.

XXII. Illud idem animadvertere licet, ſi ab externis documentis ad domeſtica nos conferamus. *Anonymus* Mabillonianus *Paullo Diacono* proximior, ejusdem tenebris non omnino quidem obſcuratus, ſed tamen aliquantulum obfuſcatus fuiſſe videtur, Ingenuinum enim *almum* dumtaxat appellat.

Ingenuinus habens primo quam rexerat almus.

In antiquioribus Diplomatibus, quorum unum a *Gewoldo* in *Additionibus* ad *Hundii Metropolim Salisburgenſem* (pag. 315.) plura vero a te (p. 24.) afferuntur, quæ ad annos DCCCXIV. CMI. CMIX. CMXVI. pertinent, nulla prorſus Ingenuini commemoratio fit, ſed S. Caſſianus Martyr in iis tantum celebratur. Prima Ingenuini mentio fit in Diplomate Henrici II. Impera-

peratoris *Heriberto Brixinensi Episcopo* anno MXX. dato, in quo Ingenuinus *Sanctis* adscribitur; in eo enim memoratur *Ecclesia in honorem SS. Martyris Cassiani, & Ingenuini dedicata*. Id tua fide affero, neque enim Diploma ad manus est, quo de ejus sinceritate judicare possim. Sane in Ecclesiæ Brixinensis Catalogis nullus *Heribertus* cernitur, nisi eum esse dicamus, qui in iisdem *Herbardus* appellatur. *Wolfgangus Lazius* in *Chorographia Austriæ* Lib. VIII. pag. 57. ait eodem anno MXX. Zachariam Episcopum Brixinensem una cum quibusdam aliis Bavariæ Episcopis ad Joannem IX. Romanum Pontificem litteras dedisse de restituenda Laureacensi Metropolitæ jurisdictione, & Moraviæ Episcopis constituendis. Verum mendosam esse apud *Lazium* Æræ Vulgaris notam, non modo ex hoc Diplomate, in quo eo anno non Zachariam, sed Heribertum Episcopum Brixinæ sedisse legitur, sed etiam ex eo liquet, quod Joannes IX. ad Summum Pontificatum evectus est anno DCCCXCVIII. obiit autem anno CM. Eodem anno CM. datam esse epistolam illam probat *Marcus Hansizius Germaniæ Sacræ* Tom. I. pag. 175. qui integram affert.

Aliud Diploma Conradi II. Imperatoris ad

ad annum MXXVII. pertinens, quod *Gewoldus* (pag. 316.) recitat, Ingenuinum *Confessorem* vocat, idemque, *Bollando* teste, legebatur olim in Martyrologio Romano a *Bellino* edito, licet in hodierno non appareat. Præterea *Matthæus Raderus* Vol. II. *Bavariæ Sanctæ* in Vita B. Hartmanni Brixinensis Episcopi auctor est, asservari in Pollingano Cœnobio non procul Weilhaimio documentum membraneum, in quo legitur, dictum Hartmannum anno MCLX. Aras duas Pollingani templi inunxisse, in quarum altera, præter alias reliquias, continentur *Reliquiæ SS. Confessorum Ingenuini*, *Albuini*, & *Gisilarii*; cujus quidem tituli aliqua ex *Petro de Natalibus* afferri ratio potest, qui tradit Ingenuinum quod Schismati non consenserit, multas injurias perpessum, immo in exsilium tandem pulsum fuisse.

Sed cur antiquos hæc egregia Ingenuini facinora prorsus latuere, cur nullum illorum vestigium in vetustioribus Diplomatibus cernere est? Tam sero igitur etiam suis innotuit ejusdem sanctitas, ut post X. demum Sæculum Patronus eligeretur, ac templa eidem excitarentur? Si Ingenuinus merito Sanctis accensetur, religionis, probitatis, integritatisque suæ famam statim ab ejus obitu percrebuisse procul dubio

ſatendum eſt, publica ſcilicet atque univerſali populi acclamatione. At ſi ita ſit, cur tamdiu neglectus jacuit, ut non uno atque altero poſt ejus mortem anno, ſed quatuor demum tranſactis ſæculis, publicus ei honor delatus ſit? Ejus ſane rei non alia cauſſa eſſe poteſt, niſi quod ſub VI. Eccleſiæ Sæculi finem, aut VII. initium, quum *Paullus Diaconus* adhuc in vivis non ageret, Schiſmatis vero Aquilejenſis ſicuti memoria recentior, ita certior puriorque eſſet narratio; Ingenuinus etiam a ſuis eo loco habebatur, qui veris, & certis ejuſdem Actis penitus reſpondebat; quæ quidem Acta late poſtea pervagato palmari *Paulli* errore, & hariolantium ſcriptorum conjecturis paullatim aucta, & immutata, eo tandem devenere, ut Schiſmaticum hominem nobis tanquam *Sanctum*, immo etiam *Confeſſorem* exhiberent.

Id luce meridiana clarius fit ſola Brixinenſis *Officii* recitatione, cujus propterea *Lectionem* V. pæne integram huc afferre operæ pretium duco, quæ ſic habet: *Graſſabatur autem adhuc infelix illud contra Quintam Synodum Conſtantinopolitanam Tria Juſtiniani Imperatoris Capitula damnantem ſchiſma. Quod quum univerſam prope Catholicam Eccleſiam pluribus annis miſere dilaceraſſet, ipſumque etiam*

Seve-

Severum, Eliæ Aquilejensis Patriarchæ successorem, ac plures Episcopos infecisset; Ingenuinus tamen una cum paucis quibusdam orthodoxis, non modo adduci non potuit, ut consentiret, verum etiam Marianam Synodum præsentia & auctoritate sua laudabiliter condecoravit; in qua dictus Severus Patriarcha revocato errore, receptus fuit in gremium Catholicæ Ecclesiæ.

Jam verbis opus non est, ut quisque intelligat ex quo fonte hæc hausta fuerint. Prodit sese tandem veritas ipsa per se larva omni detracta. Jam Brixinenses ipsi fatentur, *Paullum Diaconum* sanctitatis Ingenuini sui unicum testem esse, quo auctore quantum illis gloriari liceat ex superius dictis satis superque constat. Ergo is *Marianam Synodum præsentia & auctoritate sua laudabiliter condecoraverit*, qui eam una cum reliquis schismaticis coëgerat, ut Severum, qui Ravennæ ad Romanam accesserat Ecclesiam, ad schisma denuo revocaret? Qui alii etiam Pseudosynodo interfuit, in qua statutum, ne quis Romam proficisceretur ad Synodum, quam S. Gregorius Papa pacis & concordiæ statuendæ gratia indixerat? Qui denique Apostolicæ Sedis judicium declinans, & a Pontifice ad Cæsarem provocans, hæc Mauritio Imperatori una cum refractariis colle-

gis

gis scribere non est veritus: *Contriti, atque luctu gravissimo sauciati, ad ultimam desperationem pervenimus, ut ad illius* (S. Gregorii Papæ) *judicium Metropolita noster cogeretur occurrere, cum quo caussa ipsa esse dinoscitur, & cujus communionem ab initio motionis caussæ hujus usque nunc decessores nostri, & nos cum omni populo evitamus?* Ergo Severus *receptus fuit in gremium Catholicæ Ecclesiæ*, quum Catholica Ecclesia relicta, ad Schisma rediit? I tu nunc, Roschmanne, & te jacta Brixinensium documenta quamquam recentiora, sincera tamen esse, & antiquitati perfecte consona, atque adeo *temerarium*, & *emotæ mentis* voca eum, qui illis aquiescere nolit. Tolerabile certe ac venia dignum videri potuit, ex eo *Paulli* testimonio quamquam fallaci, Brixinensis Ecclesiæ historiam luculentiorem ornatioremque reddere. Forojulienses Historiographi, ut sæpe laudato *Norisio* adnotatum, tradunt Schismaticos Episcopos omnes pie in Domino obdormiisse. De Severo Schismaticorum pessimo *Palladius* Par. I. Lib. I. ad annum DCV. auctor est, morti proximum errorem esse aversatum. *Joannes Candidus* Lib. III. *Antiquit. Aquilejens.* ait *recta per annos XV. Ecclesia, sanctissime obiisse*. De Elia ad annum DLXXXVI. scribit idem

Pal-

Palladius, approbasse in synodo Constantinopolitanum Concilium, & diem in Domino obiisse. Paullinum quoque Apostolicæ Sedi conciliatum ajunt, & *Beati* titulo, *Paullo Diacono* præeunte, insigniunt, qui inter Schismaticos pervicacissimus fuit, & a Pelagio Summo Pontifice exsecratus. Ita receptus fere recentiorum Historiographorum mos est, ut minus decora aut invertere, aut silentio præterire (quasi pessimorum facinorum non scriptores dumtaxat, sed auctores haberi a suis lectoribus debeant) ita splendida & gloriosa undecumque corradere, quo patriæ res ampliores illustrioresque fiant. Quare si vulgari consuetudini, licet improbandæ, aliquid etiam a Brixinensibus datum fuisset, errantium multitudo aliquod forte errori patrocinium parere potuisset. Nunc quum adeo falsa, adeo absurda, & quæ merito piorum aures offendant, inter sacra precum officia Deo etiam offerre voluerint, mirum id certe videatur cordatis omnibus: num vero insuper diutius tolerandum, Ecclesiasticæ disciplinæ Magistri, ac Summi rei Christianæ moderatores profecto viderint; mihi enim privato homini quicquam definire neutiquam licet. Sane veterum male actorum commemoratio ad justissimi Numinis iram potius (nisi ignoratio intercedat)

dat)

dat) quam ad misericordiam provocandam, longe aptior esse videtur. *Gelasius I.* Summus Pontifex in Concilio LXX. Episcoporum Romæ habito, hæc ait apud *Gratianum* Dist. XV. Can. III. *Gesta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi orivetur occasio, in Sancta Romana Ecclesia non leguntur.* Si tam caute, ac sollicite se gessit Romana Ecclesia ne Sanctorum Acta anonyma, & interpolata, palam in sacris Christianorum conventibus recitarentur, quippe quæ aut nullius, aut dubiæ essent fidei; quid, quæso, egisset circa Acta non tantum supposititia, & imperite scripta, sed absona, turpia, & quæ omnem hæreticis subsannandi occasionem nedum non tollant, verum etiam certissime præbeant?

XXIII. Sed pergit *Bollandus* Ingenuini caussam omni conatu propugnare, aitque in *Officio* Brixinensi scriptum esse, Episco-

pum

pum illum, *Urbem & Ecclesiam Sabionensem, Theodonis III. Bavariæ Ducis beneficentia restaurasse;* quibus verbis ita ipse subdit: *Si tamen Theodo III. sumtum ad illius Ecclesiæ restaurationem contulit, Ingenuinum oportet jam ante ab schismate resiliisse. Neque enim Ecclesiæ hostem Theodo, qui recens Christo adjunctus ab S. Ruperti consiliis totus pendebat, eo esset favore ac munificentia dignatus; sed illud huic succurrisset, quod ad Joannem Ravennatem scripsit S. Gregorius Lib. II. Epist. XXXII. Misericordia prius fidelibus, ac postea Ecclesiæ hostibus est facienda.*

Respondeo primo, negare alios Sabionam, postquam ab Hunnis & Attila eversa est, unquam instauratam fuisse, verum ei *Clusium oppidum ad pedem montis Sabionæ affixum, successisse*, quæ *Christophori Gewoldi* sententia est in *Additionibus* ad *Hundii Metropolim Salisburgensem*. Sane *Joannes Aventinus, Marcus Velserus, Andreas Brunnerus, Joannes Adlzreitterus, Matthæus Raderus, Marcus Hansizius*, aliique rerum Boicarum scriptores, nullam facti hujus mentionem faciunt. Juvaviam quidem, hoc est Salisburgum, summa liberalitate S. Ruperto donasse Theodonem, urbisque illius Pontificatum pluribus reditibus locupletasse, tradunt universi: de Sabio-

bionensis vero Civitatis, & Ecclesiæ restauratione omnes silent.

Sed demus *Bollando*, ea omnia certissima esse; quid mirum Theodonem virum Catholicum, & a S. Ruperti consiliis pendentem, ære proprio instaurasse tum Urbem, tum Ecclesiam Sabionensem, licet ejusdem Episcopus Schismaticus esset? Si Ingenuinus Schismaticus erat, erat tamen Christianus, erat Episcopus, spes etiam fortasse affulgebat eum tandem una cum sociis ad Ecclesiæ unitatem reversurum, cur Theodo si ad Urbem restaurandam sumtum contulerat, id Ecclesiæ denegasset? Basilica illa Templum Dei erat, etsi ejus Episcopus Templum Diaboli esset; neque enim Sacra Ædes rectoris pravitate infici polluique potest. S. *Gregorii* effatum præter rem adducitur, non enim tradit *Officium* Brixinense Ingenuinum ipsum Theodonis munificentiam fuisse expertum, sed hunc ad Basilicam Sabionensem instaurandam æs contulisse, quod profecto non erat *Ecclesiæ hostibus misericordiam facere*, sed Dei Templum ad ejus gloriam propriis sumtibus renovare; neque Ingenuinus, qui in captivis redimendis magnam pecuniam irrogaverat, misericordia Theodonis egebat.

Hæc reponerem, si facti illius veritas con-

constaret: at ea labante, tota *Bollandi* ratiocinatio in fumum nebulasque resolvitur. Teodo ille Bavariæ Dux, qui Secundus, non Tertius fuit, S. Rupertum in Boicam regionem non accersivit ante annum DCXCVI. Anno DCCXVI. idem Sanctus Vir Episcopatum Salisburgensem constituit. Circa annum vero DCCXVIII. Theodo ad Superos evolavit. Hæc quum Ecclesiasticæ Bojorum historiæ studiosis notissima sint, longiorem non desiderant orationem, qua de re consulendus *Marcus Hansizius* Tom. II. *Germaniæ Sacræ* in Vita S. Ruperti Bojorum Apostoli, & in *Adnotationibus* ad eamdem. Nisi igitur Ingenuinum Nestorea stirpe progenitum fuisse dicamus, qui ab anno DXC. quo jam inter Episcopos florebat, usque ad annum DCC. & ultra vitam produxerit, Theodonis liberalitatem experiri non potuisse evidentissimum est. En aliud sinceritatis Brixinensium traditionum luculentissimum specimen.

At quando sanctitatis Ingenuini vindices tam anxie demonstrare nituntur, eum a Schismate tandem recessisse, & Catholicæ fidei agnovisse veritatem, age vero id totum, quod numquam tamen probarunt, iis liberaliter concedamus. Quid tum? Sanctus ne ideo dicendus erit? Sed ubi

egre-

egregia facinora, ubi actiones heroicæ, ubi animi virtus, & in his usque ad vitæ finem perſeverentia, quæ Sanctum fuiſſe evincant? Neque enim qui Schismaticus non eſt continuo Sanctus appellari poteſt, ſi aliunde factis, certisve monumentis vitæ ejusdem ſanctitas non demonſtretur, quæ facta, & monumenta, quod ad Ingenuinum noſtrum attinet, niſi fabellis locus detur, nulla propemodum nobis occurrent.

XXIV. Verum hic inſtat *Matthæus Raderus*, & ſanctitatis inſuper Ingenuini non levia indicia nobis oſtendere conatur *Bavariæ Sanctæ* Vol. III. in ejusdem Vita, in qua ait: *Ingenuinum virum ex eo quoque Sanctum videri potuiſſe, quod ipſe ultima paſſus, tamen in captivorum lytrum magnam vim pecuniæ Francis expenderit, quum in ſingula virorum capita ſexcentos Solidos adnumerarit, ut Paullus Diaconus Lib. III. Cap. XXXII. docet*. Quod repetit *Gewoldus* in *Additionibus* ad *Hundium*.

At quum Ingenuinus Sanctus a nobis fuiſſe negatur, non tamen contendimus eum neque Chriſtianum, neque adeo virum probum fuiſſe. Facinus a *Paullo Diacono* memoratum eum aliquid boni egiſſe probat, Sanctum fuiſſe non probat, præfer-

fertim si a Romanæ Ecclesiæ communione separatus Schismati usque ad mortem constanter adhæserit. *Non enim* (verba sunt *BENEDICTI XIV.* Summi Pontificis in *Litteris Apostolicis de nova Martyrologii Romani editione* §. XXVI.) *in una vel altera bonorum Operum specie Sanctitas, de qua hic loquimur sita est; sed virtutibus in gradu heroico assidue exercitis, atque ad obitum usque productis, probatur*. Sane S. *Gregorius Magnus*, testis omni exceptione major, Lib. VII. Epist. LXVII. de Schismaticis Aquilejæ Episcopis ita scribit: *Et dum neque in fide recti sunt, neque in bonis operibus intenti, student ut certare pro fide videantur; sicque fit, ut quotidie deteriores fiant, dum in eis culpa grossescit, quæ quasi de zelo fervoris videri etiam laudabilis appetit*. Idem S. Pontifex Epist. LXVI. Lib. VII. Anatolio Diacono, qui Constantinopoli versabatur, commendat nonnullos, qui ab Schismate recesserant, & *multa de pravitate Episcoporum qui in illis partibus sunt, conquerebantur*. Hæc tamen minime urgeo; generatim enim dicta sunt, nec forte ad Ingenuinum spectabant: illud urgeo, uno atque altero Ingenuini recte facto admisso, sanctitatem ejusdem perperam inde inferri; si enim illa argumentandi ratione quicquam

conficeretur, etiam Agnellus Tridentinus Episcopus *Sanctus* dici deberet, quum, ut ex laudato *Paulli Diaconi* loco patet, ejusdem & ipse ac Ingenuinus facinoris particeps fuerit: & tamen Agnellus ut Schismaticus quidem a nobis agnoscitur, ut Sanctus vero non item. *Sanctum* tu quidem auctoritate tua satis liberaliter pronuntias (pag. 64. 65. 113.) At obstat Tridentina Ecclesia, a qua nullo unquam cultu veneratus fuit: obstant Martyrologi omnes, quorum nullus eum Sanctorum albo adscripsit; quare ne expectes, quæso, ut pro tua hac in nos liberalitate a nobis, qui commentitiis falsisque honoribus non delectamur, grates tibi reddantur. Potius disce vel tuo exemplo quam facile sit Sanctorum Catalogum perperam augere.

Ceterum & *Radero*, & *Bollando*, & aliis quoque doctis viris venia utique danda est, quod conjecturis hujuscemodi quamquam infirmioribus, aliquantulum indulserint. Quum enim cultum Ingenuino a Brixinensibus exhibitum firmissimo fundamento innixum esse existimarent, neque tamen quodnam illud esset, detegere potuissent, ad eas hariolationes delapsi sunt, ut aliquam saltem veteris erga illum Episcopum a suis habitæ venerationis rationem redderent.

rent.

rent. Quod ſi eam, quæ a me nuper allata eſt, ipſis detegere licuiſſet, ſubſtitiſſent fortaſſe, ſibique temperaſſent, quo minus ingenio indulgerent ſuo, utpote quæ non divinationibus, fictisque Actis, aut nullius roboris argumentis, ſed certo & exploratiſſimo facto nitatur. Sexcentæ hujusmodi etiam veroſimiles rationes & conjecturæ comminiſci nullo negotio poſſent. Eæ omnes, iterum dico, laudandæ & amplectendæ forent, ſi nulla alia firmior extaret: at ratione in medium producta, quæ non modo æque veroſimilis eſt, ſed certo etiam atque indubio facto comprobatur, eæ omnes recedant oportet, quæ utut veroſimiles, tamen factis vel repugnantibus, vel ex ingenio confictis ſuſtinentur; conjecturas enim ex conjecturis ortas, iis locum cedere conjecturis, quæ à certa quapiam veritate profluunt, nemo non æquiſſimum judicabit.

Neque vero in Ingenuini tui ſanctitate vindicanda magnum quid præſtares, Roschmanne, ſi ad antiqua Brixinenſis Eccleſiæ Breviaria, Calendaria, Lectiones, Orationes, & id genus alia ſedulo excutienda te conferres. Improbo huic labori omnino parce. Si ante *Paulli Diaconi* ætatem publicum Ingenuino a Brixinenſibus cultum ſtatutum oſtendere potes, ipſe quoque vo-

 lens,

lens, lubensque manus dederim: at si id non potes, conde quæso tua Calendaria; neque enim negamus sequiori ævo eum illi honorem jam a pluribus sæculis tributum fuisse.

XXV. Sed quid dicendum de miraculis, quæ *Hundio* auctore ad Ingenuini tumulum perpetrata sunt, quibus *in hodiernum diem* eumdem clarescere attestatur? Nonne ea satis superque probant mirificam illius Episcopi vitæ sanctitatem?

Ego vero, Roschmanne, qui probe noverim, quam facile ex vulgi rumoribus miracula confingantur, aut pro miraculis venditentur quæ naturæ vires nequaquam superant, testem mihi afferri vellem non vagum illum, & auritum, sed certum, gravem, & doctum, qui præsens ea propriis oculis hauserit, excusserit, perpenderit.

Verum fac miracula ab *Hundio* commemorata verissima & testatissima sint, quum eorum tum in *Romano Martyrologio*, tum in *Proprio Brixinensi*, *Matthæo Radero*, aliisque disertissima occurat mentio; nulla tamen inde sanctitatis Ingenuini educi potest conjectatio, nullum argumentum inferri. *Neque enim* (verbis utor V. Cl. *Joannis Mabilonii* in Epist. *De cultu Sanctorum ignotorum* §. XVIII.) *sola miracula etiam vera*,

vera, sufficiunt ad probandam alicujus sanctitatem, nisi aliunde sanctitas comperta sit, aut ex insigni vitæ integritate, aut ex certo & approbato martyrio. Fieri enim possunt vera miracula ad falsas reliquias, ob fidem ac pietatem eorum, qui eas veras esse credant.

Quod ad Ecclesiæ Brixinensis gloriam amplificandam non parum valet (id enim minime nunc a me silentio prætereundum fuit, ne indecora tantum persequi videar) unum illud est, scilicet conjici aliqua ratione posse, eam sin minus Ingenuino vivente a Schismate depurgatam fuisse, saltem proxime ab ejus obitu id accidisse, quod certe pro maximo illius ornamento reputandum, quum multæ ejusdem Provinciæ Ecclesiæ, præcipue vero ipsa Aquilejensis Metropolis, adeo multos post annos ea labe fuerint infectæ. Sane S. *Gregorius Magnus* Lib. VII. Epist. XCIV. (nunc Lib. V. Epist. XLVII.) Mastalonem laudat, eique gratias agit, quod in Schismaticis Aquilejæ ad Romanam Ecclesiam revocandis strenuam operam navasset. Porro Ingenuino in Episcopatu Sabionensi Mastulonem successisse *Anonymus* Mabillonianus testis est.

Mastulo secundus, seditque regendo Cathedram,

licet in vulgaribus elenchis decimus quintus, aut decimus sextus ordine collocetur; qui Mastulo, quod idem ille sit, cujus laudes a S. *Gregorio* celebrantur, quive postea Episcopus Sabionensis sit effectus, valde mihi verosimile videtur.

XXVI. Verum, ut quæ hactenus fusius disputata sunt, paucis concludam, quum ex Schismatis Aquilejensis historia, prout *Paullus Diaconus* eam refert, pronum factum sit Schismaticos Aquilejæ Episcopos quasi Sanctos, & Confessores amplecti ac venerari, ut *Bartholomæi Tridentini*, *Petri de Natalibus*, aliorumque exemplo comprobatum fuit: quum medio ævo, hoc est ætate densissimis ignorantiæ tenebris involuta, satis obvia sint exempla Ecclesiarum, quæ, quod attinet ad cultum Sanctorum, a recto Ecclesiasticæ discipline tramite ob Episcoporum oscitantiam ita aberrarunt, ut *Alexander III. & postea Innocentius III. videntes abusus, qui oriebantur circa Sanctorum cultum, probibuerint, ne deinceps aliquis pro Sancto coli inciperet sine Romani Pontificis approbatione*, ut *Robertus Bellarminus* testis est in Lib. I. Cap. VIII. *De Sanctorum Beatificatione*; qui abusus in hac nostrorum temporum luce (nominibus parco, ne ingratæ rei memoriam renovare videar) minime desunt: quum Germani,

quod

quod ad religionem ſpectat, ſimpliciores aliquanto ſint, ne quid deterius dicam, quam reliquæ nationes: quum denique Ingenuinus jam inde a IX. Eccleſiæ Sæculo *almus* vocatus fuerit, ab *Anonymo* ſcilicet Mabilloniano; quid mirum ſi Brixinenſis Eccleſia tum quum in Beatorum numerum relatio privata auctoritate, ideſt Epiſcopi una cum populi ſuæ Diœceſis conſenſu peragebatur, neque Summi Pontificis ſuffragium accedebat, re minus perpenſa, neque ad examen revocata, publicam tandem huic ſuo Præſuli venerationem cultumque decreverit, altaria excitaverit, templa demum erexerit? Quid mirum ſi inde factum ſit, ut plura veris illius Actis ex ingenio ab aliis addita ſint, atque adeo cultus ex falſa *Paulli* narratione ortus, falſas alias fictasque narrationes produxerit? Quid denique mirum ſi hæc omnia, præſertim vero perantiquus Eccleſiæ Brixinenſis cultus, *Martyrologii Romani* curatoribus fucum fecerunt, adeo ut Ingenuino tandem locus datus ſit? Quum enim nulla appareret ratio, nulla ſuſpicio nata eſſet, cur Brixinenſium cultus temere invectus judicari poſſet, merito ac jure pro certo atque indubitato ſanctitatis ſigno ille habitus fuit.

Illud idem erga alios quoque ejusdem cœtus Epiſcopos profecto accidiſſet, ſi faci-

les adeo cives invenissent, qui aris templisque dicatis, eos venerari, atque in suos Patronos eligere non detrectassent. Sane nullum ego ex illis invenio, cujus memoria adeo illustris ac sancta ad nos usque pervenerit, ut Ingenuini memoria fuit; quod scilicet *Paulli Diaconi* merces etsi longe lateque diffusæ, & quamquam scriptores multos cum sacros, tum profanos fefellerint, adeo tamen fortunatæ non fuerint, ut Episcopos, Civitates, ac Diœceses integras fucato nitore suo decipere valuerint. Emtorem tamen aliquem, qui licet tanti eas non fecerit longe tamen quam par est, æstimarit, apud Forojulienses, & Vicentinos nactæ fuisse videntur; nam præter binas Utinensis Aulæ Patriarchalis Inscriptiones superius memoratas, in quibus Severi, & Eliæ Aquilejensium Episcoporum sanctitas celebratur, qui a Romanæ Ecclesiæ communione sejuncti, obfirmato in Schismate animo obierunt; testis est *Bernardus Maria de Rubeis* in *Admonitione* in *Appendicem* ad *Monumenta Aquilejensia* in insigni Ecclesia Collegiata S. Mariæ Civitatis Forijulii Episcoporum Aquilejensium Catalogum asservari, quem *Singulis annis die secunda Februarii in Festo Purificationis Deiparæ, Candelarum distributione completa, ante Missarum solemnia, coram palamque ex Odeo al-*

ta

ta voce recitat Canonicus Archidiaconus. Quem morem in Aquilejensi Metropolitana Ecclesia olim viguisse probat, recteque conjicit ex vetusto Diptychorum usu profluxisse. Porro in hoc Catalogo non modo laudati Severus, & Elias, verum etiam reliqui omnes Schismatici Aquilejæ Episcopi ordine recensentur, eodemque, quo illustres revera ac conspicui sanctitate, & doctrina ejusdem Ecclesiæ Præsules afficiuntur honore, omisso interim Candidiano Orthodoxo Patriarcha cum reliquis usque ad Petrum. Quod ad Vicentinos attinet, de Horontio illius urbis Episcopo, & Ingenuini nostri collega, hæc tradit *Ughellus* Tom. V. *Italiæ Sacræ* in Episcopis Vicentinis: *Horontius anno DXC. apud Paullum Diaconum, & Petrum de Natalibus titulo beatitatis insignitur* (ubinam *Diaconus* Horontium *Beatum* appellet, mihi incompertum) *tametsi apud Baronium inter Schismaticos Episcopos Severi Patriarchæ Aquilejensis asseclas adnumeretur. Ejus memoria habetur Vicentiæ Die V. Junii.* Quibus postremis verbis cultu aliquo a Vicentinis Horontium prosequutum fuisse *Ughellus* innuit. Quem cultum, quicumque demum ille fuerit, post *Paulli Diaconi* ætatem invaluisse, ac tum ipsi *Paullo*, tum aliis, qui in eadem hæresi

fuerunt, acceptum referri oportere, tam mihi certum est, quam quod maxime. Quo denique minus mirum sit, Sabionensem Ecclesiam in Langobardorum Historiographi foveam incidisse, quum Vicentina in ipsa Italia constituta, & multo Sabionensi illustrior, vitare illam penitus non potuerit. Ceterum eodem impræsentiarum errore eam teneri nemo sibi persuadeat; nam Vir eruditus Franciscus Fortunatus Vigna, qui in Vicentinorum rebus tum sacris, tum profanis illustrandis versatur, me per litteras monet, ab illa Ecclesia nullum nunc Horontio cultum impendi. Quod quidem recte sapienterque factum; ut enim modo laudatus *Mabillonius* §. XII. ejusdem Epistolæ *De cultu Sanctorum ignotorum* prudenter præcipit, quod ad hanc rem attinet, *Prima regula est, ut Sancti nequaquam dubii sint, sed certi & indubitati, utpote certis & indubitatis recogniti argumentis. Id enim ad religionis sinceritatem spectat, ut non nisi certa fidelibus sanctioris vitæ exempla proponantur. Si ergo dubium sit* (addit §. XXI.) *eorum martyrium, vel incerta sanctitas; non colendi sunt, sed ad summum honesto habendi loco*. Quam in rem Paragrapho proxime antecedenti factum narrat, quod V. Cl. Danieli Papebrochio contigit,

tigit, plane dignum quod hic referatur: *Cum anno MDCLX.* (*Papebrochii* ipsius verba sunt Tom. V. Maii pag. 223.) *venissemus Ravennam, & XX. die Novembris ingressi ornatissimum templum novi Classensis intra urbem Monasterii, adoravissemus sub majori Ara quoddam corpus sacrum, illic depositum & decentissime conditum a quodam Cardinali Legato, admoniti esse Sanctæ Argyridis matronæ, & Martyris Græcæ, cujus ibi festum quotannis ageretur die XXIV. Aprilis; ducti fuimus post Altare, ut spectaremus marmor tres aut quatuor pedes longum, altum vero unum, quod cum corpore illo pariter allatum fuerat his inscriptum notis:*

ΓΛΥΚΙΤΑΤΗ. ❦ ΓΥΝΑΙΚΙ
ΑΡΓΥΡΙΔΙ. ❦ ΤΡΟΦΙΜΟϛ
ΑΝΗΡ. ❦ ΕΤ. ΕΣΗ ❦ Λϛ.

Rogabant adstantes, ut ipsum sibi latine redderemus. Hanc ergo interpretationem eis scriptam reliquimus: Dulcissimæ mulieri Argyridi Trophimus maritus. Annis vixit XXXVI. monuimusque removendum a templo videri saltem lapidem, qui natus esset scandalum parere intelligentibus, & mulieri forsan ethnicæ positus, ac deinde a Christianis fuisset allatus in cryptam, ut alicujus

Martyris loculo claudendo serviret pro latere. Nam illa corda (istic enim, ubi nos litteram ♥. *posuimus, notula quædam erat, aliquam speciem præbens transfixi cordis) si vera sunt corda, solum esse indicia doloris, quem maritus hauserit ex jactura tam caræ conjugis. Quod in aliis pluribus ethnicorum epitaphiis videre erat ..... Cum Ravennati Archiepiscopo innotuisset nostrum de lapide isto judicium, prædictam Congregationem, quæ scilicet super indulgentiis, sacrisque reliquiis Romæ instituta est, consuluit; & responsum accepit, non solum amovendum lapidem, sed ipsum quoque illud corpus, quod Martyris esse nullo jam certo argumento patebat, restituendum Domino Cardinali, qui ipsum donaverat. O dignum certe* (continuo subdit *Mabillonius*) *Romana gravitate judicium sacræ illius Congregationis! a qua sine dubio eadem omnino sententia in similibus factis speranda est, si de his pariter consulatur.*

XXVII. At quærat hic ex me fortasse quispiam, qua demum tempestate, & quo procurante, tantus Ingenuino honor delatus, ut *Romano Martyrologio* inscriberetur? Id scire nostra non parum refert, inde enim quantum ei juris ex illa insigni prærogativa accesserit, palam erit.

Martyrologium illud, quod si prima ejusdem

dem exordia spectes, initio ferme nascentis Ecclesiæ coalescere cœpit, Martyrologiorum omnium, quotquot deinceps subsequuta sunt; fons & origo merito appellari debet, a quo singula quasi a fonte rivi dimanant: *Si quis horum omnium, quæ a nobis sunt recensita Martyrologia* (inquit *Baronius* Cap. IX. Differt. *De Romano Martyrologio*, eidem præfixæ) *& quæ postea accesserunt, originem petat; & ad suum principium reducere velit, omnia e Romano, velut ex trunco ramos, producta esse cognoscet. Quæ etiamsi (ut de fluminibus accidit, quæ quum e suo fonte modica scaturigine fluant, licet majorum fluminum accessione turgescant, tamen nomen, quod ab eo acceperant, non tantum non amittunt, sed communicant ceteris) sic a suo principio nomen sumerent; prædicta omnia, non Hieronymi, non Bedæ, vel Flori, non Usuardi, Adonis aliorumve nomine essent inscribenda; sed Romani Martyrologii ab hoc, vel illo aucti, essent potius titulo consignanda.*

Firmissimo hoc, & quod jure nemo infitiari possit, fundamento posito, sequitur inde, si quod nomen in nullo ex memoratis posterioribus Martyrologiis recenseatur, illud a veteri *Romano Martyrologio* exsulasse, pro certo habendum. Porro notatum

tatum jam superius a nobis fuit in antiquissimo, quod *Hieronymo* tribuitur, *Martyrologio*, nullam Ingenuini nostri mentionem fieri. *Beda*, *Florus*, *Rabanus*, *Ado*, *Usuardus*, *Notkerus*, ceterique veteres Martyrologiorum scriptores, ad unum omnes aeque de illo silent; ex quo tuto inferas licet, non modo *Martyrologio Romano* inscriptum non fuisse Sabionensem hunc Episcopum proxime ab ejus obitus die, sed ne post multa quidem saecula; ac postremis demum temporibus precario quodammodo aliquem in eo locum invenisse. Quae quidem res quam parum ejus caussae emolumenti afferat, immo quantum officiat, nemo sane non videt. Si enim Ingenuinus VI. Ecclesiae Saeculo floruit, ut certe floruit, cur in antiquis Sanctorum fastis nomen ejus non cernitur, cur nullus veterum Martyrologorum illius memoriam recolit? Latuit ergo antiquos omnes ejusdem vitae sanctitas, & posteriori demum aevo emersit? At quaenam monumenta in apricum protulit serior aetas, quaenam acta detecta sunt? Nihil propemodum; sed merae tenebrae, mera somnia, merae alucinationes.

Quis igitur nobis illum invexit, & qua id ratione ductus praestitit? Rationem proxime attigimus, hoc est cultum perantiquum Brixinensis Ecclesiae, qui pro certo

san-

sanctitatis indicio (neque enim caussa alia tum occurrebat) habitus est. A quo vero fuerit eo privilegio donatus, si in re obscura divinare licet, *Bellino* Patavino Eremitanæ Familiæ alumno auctore factum id esse arbitramur; *Bollandus* enim, qui de Sanctis omnibus adeo bene meritus est, quive speciatim quidquid ad Ingenuini sanctitatem comprobandam facit, undique collectis monumentis, indicare non omisit ad Diem V. Februarii, nullum antiquius Martyrologium in quo Ingenuinus appareat, offendit eo, quod laudatus *Bellinus* publici juris fecit Venetiis anno MCDXCVIII. Quod quidem Martyrologium licet *Usuardi Martyrologium* sit (quo tum communiter utebantur Occidentis Ecclesiæ pæne omnes, etiam urbis Romæ, una Vaticana excepta) tamen multis a *Bellino* additamentis auctus fuit, ut cernere est in adcuratissima Usuardiani Martyrologii editione a *P. Jo. Baptista Sollerio* procurata; inter quæ additamenta Ingenuini nomen ponendum est, quod in sincero, & expurgato *Usuardi Martyrologio* nuspiam apparet.

Porro quum Gregorius XIII. Sumus Pontifex in animum induxisset novam Martyrologii editionem quantum fieri posset castigatam, quæ omnibus Ecclesiis inserviret, adornare, atque eam curam pluribus

præ-

præstantissimis in Urbe viris demandasset, inter quos fuere Robertus Bellarminus, & Cæsar Baronius; ii *Usuardi Martyrologio* usi sunt. In expurgando autem ab erroribus *Usuardi* textu, etsi ad veteres Martyrologos, quos Romani *Martyrologii* rivulos appellavimus, subinde confugerint, laboribus tamen recentiorum proficere non recusarunt, præcipue vero *Bellini*, & *Molani*, quibus in illa editione elaboranda multum detulerunt. En qua ratione Ingenuinus, novem a sua ætate elapsis sæculis, in *Romanum Martyrologium* tandem irrepsit. Quæ quidem res, si penitius introspiciatur, neque nova, neque mira videri profecto possit, nisi ei, qui opere in longo doctissimis etiam viris somnum aliquando obrepere ignoret, idque exemplo haud carere prorsus nesciat. Auxentius, ut id obiter innuam, Mopsuestenæ Ecclesiæ in Cilicia Episcopus, Arianus fuisse videtur, ut a *Fratribus Balleriniis* Lib. III. Cap. IV. Num. II. *Observationum in sacra Norisii Opera* adnotatum, quod etiam in caussa fuit cur ejusdem nomen ab illius Ecclesiæ Diptychis exsularet: tamen *Martyrologio Romano* insertum est ad Diem XVIII. Decembris. Illud sane merito ac jure quis miretur, *Baronium* Annalium Ecclesiasticorum parentem, emunctæque naris virum, quum auctorem, qui Ingenuinum Sanctis

accen-

accenseat, *Petro de Natalibus* antiquiorem vidisset nullum, eum autem *Paulli Diaconi* errorem sequutum, turpissime alucinatum fuisse constet; nullam tamen hac de re dubitationem ingessisse, atque ad eumdem *Petrum* tanquam ad idoneum sanctitatis Ingenuini testem, lectorem suum remisisse, quum præsertim idem *Baronius Paulli Diaconi* sphalma non modo agnoverit ipse, sed aliis etiam indicaverit, ita scribens in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum DLXXXVI. Num. LXXXVII. *Sed hic lector attendat, gravissime in errorem lapsum Paullum Diaconum, aliis errandi occasionem fuisse, dum putavit damnatores Trium Capitulorum eosdem fuisse ab Ecclesiæ communione extorres; ut dum de Johanne Ravennate asserit, eo quod Trium Capitulorum damnator extiterit, a Romanæ Ecclesiæ communione excidisse: adeo ut plane convincatur ipse Paullus de Tribus Capitulis historiam minime assecutus fuisse. In quem errorem lapsos vidimus recentiores Historicos, & quidem disertos viros, Paullum errantem secutos: ex quo factum est, ut in devium, semel immisso pede, iidem implicati teneantur aliis multis erroribus, ut quum dicunt, Joannem Ravennatem Episcopum adversus Romanam Ecclesiam rebellasse, atque Smaragdum Exarchum adversus Catholicos Episcopos concitasse, &*

alia

alia hujusmodi veritati contraria : nam ita in re tanta a vero exorbitantes, vix credi potest, in quot sint abducti mendacia, nec quidem levis momenti, dum qui fuerunt Catholici, collocant inter schismaticos, schismaticos vero inter Catholicos numerant, & persecutorem vocant Exarchum Smaragdum, qui schismaticos zelo pietatis exagitavit. Ad annum DXCII. Num. VII. addit: *In hanc profundam erroris foveam lapsos esse omnes recentiores Historicos, inexplorate sectantes Paulli vestigia.*

Pauca hæc adnotare operæ pretium duxi, quo scilicet omnis, qui ex *Romani Martyrologii* auctoritate, quod ad Ingenuini pietatem & sanctimoniam spectat, orriri poterat scrupulus, penitus tolleretur; quid enim Romani Correctores præstiterint, quæ Acta præ oculis habuerint, dum illum Sanctorum fastis adscripsere, *Baronius* in *Notis* indicat, nosque supra excussimus. Quare cautius profecto doctis quibusdam viris procedendum erat, dum nullis Ingenuini inspectis Actis, nisi iis, quæ Schismatis eum arguunt (neque enim alia supersunt) Sabionensem illum Episcopum tanquam exploratæ sanctitatis virum nobis venditarunt; quos inter primo forte loco recensendus est Eminentissimus Scriptor *Henricus Norisius*, qui Cap. IX. §. VI. sæpius laudatæ *Dissertatio-*

tionis de Synodo Quinta, ita de Schismaticis Aquilejensibus loquitur: *Quod si illorum quosdam ante mortem ab errore discessisse constet, ut de S. Ingenuino narravimus, de eorum pœnitentia nobis lætandum est. Sed quinam ii fuerint, divinare non possumus, neque fas est de divinis judiciis temere judicare.* At unde constat, Ingenuinum ante mortem ab errore discessisse, & ubinam id probavit *Norisius?* Scilicet paullo ante allata modo verba, ita scripserat: *Inter Episcopos schismaticos, qui contra Apostolicam Sedem Pontificibus Pelagio II. & Gregorio Magno pro Schismate depugnarunt, fuit Ingenuinus Sabionensis Episcopus, qui primus Libellum ad Mauritium contra S. Gregorii mandata conscriptum signavit, & Apostolicæ Sedis judicium fugiens, profanum Imperatoris tribunal appellavit. Illius tamen festum peragitur Brixinæ in Rætia Secunda, unde dicendum est cum Bollando, illum resipuisse, & ad meliorem frugem reversum. Bollandi* conjecturæ quanti faciendæ sint, quamque ad afferendam Ingenuini sanctitatem vim habeant, jam vidimus. Nisi validiora afferantur argumenta, ab errore tandem eum recessisse non modo adeo asseveranter pronuntiandum non est, sed ne suspicari quidem merito potest.

Cui de *Martyrologii Romani* historia plura

ta nosse animus est, is *BENEDICTI XIV.* Summi Pontificis, qui non modo vitæ integritate, verum etiam doctrinæ, & scriptorum fulgore, atque amplitudine Ecclesiam Dei illustrat, præstantissimum adeat Opus *De Servorum Dei Beatificatione*, *&* *Beatorum Canonizatione* Lib. IV. Part. II. Cap. XVII. edit. Patavinæ. Quo quidem loco apposite ad hanc rem adnotat eximius Ecclesiæ Magister, Gregorianam Martyrologii editionem Urbano VIII. Summo Pontifice regnante, novis curis fuisse recognitam, in qua recognitione *Textus fuit multis in locis emendatus ad fidem Historiæ: minus certa commissa tempori decernenda maturius; & Sulpitius Severus* (S. Martini discipulus) *a Martyrologio Romano expunctus*. Sapienter autem monet, *Apostolicam Sedem non judicare, inconcussæ esse & certissimæ veritatis quæcumque in Martyrologium Romanum inserta sunt ..... nec viris in Ecclesiastica Historia peritis prohibitum dici potest confugere ad Sanctam Sedem, si novæ correctionis fundamenta suppetant;* cui proinde, quæ hactenus a nobis scripta sunt, ea qua par est animi reverentia ac demissione subjicimus. *Eruditus Lucas Holstenius* (pergit idem) *Prefectus Vaticanæ Basilicæ suis litteris admonuit Franciscum Mariam Florentinium, qui incumbebat in edi-*

tio-

tionem vetustioris Martyrologii Occidentalis Ecclesiæ D. Hieronymo attributi, de quo supra, ut Opus id ederet, putans eo modo corrigi posse nonnullos errores, qui post correctiones adhuc in Martyrologio nostro Romano extare dicuntur. Litteræ ipsæ prostant in Admonitionibus præviis ejusdem Florentinii ad suum Martyrologium; & ipsemet Holstenius nonnullas Romæ edidit Notas ann. MDCLXIII. ad Martyrologium Romanum; & Latinus Latini Viterbiensis in sua Bibliotheca sacra & profana edita Romæ anno MDCLXXVII. alias subjecit emendationes, quas fieri posse in examine Martyrologii existimavit. Videndæ pariter ejusdem *BENEDICTI XIV. Litteræ Apostolicæ de nova Martyrologii Romani editione ad Joannem V. Portugalliæ Regem* §. XVIII. & XLVI. Inter doctorum virorum in *Romanum Martyrologium* animadversiones non ultimo certe loco statuenda illa est, quæ circa Isidorum, & Siridonem Episcopos versatur, de quibus Die II. Januarii. Vera enim lectio, quam etiam Codex quidam ms. optimæ notæ exhibet, est hujusmodi: *Antiochiæ Syriæ Doni Episcopi ejusdem loci*, ex quibus verbis *Siridonis*, & *Isidori* vitio amanuensium enata nomina; atque ita ex uno vero Episcopo *Dono*, seu *Domno* nomine, duo, vel tres commentitii

tii

tii a *Baronio* invecti; qui locus spongia utique si quis alius indigere videtur.

XXVIII. Sed ut unde digressa est, eo demum redeat oratio, atque ad *Conjecturas* tuas, Roschmanne, tandem revertar, laudo consilium tuum quod appendicis loco, *Prudentii Hymnum* de S. Cassiano Notis illustrare institueris; in iis enim multa docte simul, atque erudite a te explicata sunt. Lætor præterea vehementer, tibique summopere gratulor, in antiquissimo S. Georgii Cœnobio Vallis Œni Superioris ms. Codicem membraneum *Bartholomæi* nostri *Tridentini* a te detectum fuisse, uti refers Cap. III. quum præsertim Codex Barberirinus, qui hactenus, quod quidem sciam, studiosis innotuit, & mutilus sit, & litteras non raro evanescentes præferat. Euge porro, ne despondeas animum, vetustiores forte adhuc latitant, qui a blattis & tineis cum quibus diu luctantur, tandem a te liberari gestiunt. Adsit cœptis tuis Fortuna, ardoremque illum, quo patriis rebus cum sacris, tum profanis illustrandis æstuas, prospero eventu secundet. Illud dumtaxat amice ac peramanter monuerim, ut partium studiis nunquam te abripi sinas, ne scilicet dum morem aliis libentius geris, seu verius aures demulces, Historiæ fides,

quæ

quæ præ ceteris ſarta tectaque eſſe debet, detrimenti aliquid capiat. Inquiſitiones illas, quid fieri, quid eſſe potuerit, hariolis relinque: quid factum ſit, quære. Conjecturis utere, quum validior argumentandi ratio non ſuppetit: at clariore luce affulgente, ultro cæcutire noli. Homerum laudat *Horatius*, quod ex fumo det lucem: tu contra ex fulgore fumum, immo tenebras vide ne elicias. Præclara ſane res eſt, primis Eccleſiæ ſæculis Evangelii lumine fuiſſe illuſtratum, ea tamen gloria mendaciis minime conquirenda; nimis enim care emitur, quod veritatis diſpendio emitur. Si pro Vetuſtate pugnare non potes, pugna pro Veritate, qua nihil eſt vetuſtius. Vales ingenio, vales eruditione. Spartam aliam majore cum fructu adornaſſes: meliorem certe tibi auguror. Vale.

Ex D. Georgio VIII. Calendas Sextiles MDCCXLIX.

F I N I S.